# IN GEORGIVM BLACVELLVM Angliæ Archipresbyterum

*A* CLEMENTE *Papa Octavo* designatum

## QVÆSTIO BIPARTITA:

Cuius Actio prior Archipresbyteri iusiurandum de FIDELITATE præstitum.

*Altera eiusdem iuramenti Assertionem, contra* Cardinalis BELLARMINI Literas, continet.

CAMBRIDGE UNIVERSITY LIBRARY 1888 BRADSHAW COLL.

LONDINI,
Excudebat IOANNES NORTON, Sereniſſimæ Regiæ Maieſtati in Latinis, Græcis & Hebraicis Typographus.
1609.

2816

07-866

# INTERPRES LECTORI.

*SVbijsse Archipresbyterum, habitâ in eum* Quæstione, FIDELITATIS IVRAMENTVM, *eôque nomine â Pontificijs plerisque, præcipuè verò à Cardinale* BELLARMINO *malè audijsse, ipsius loquuntur in typos iamdiu editæ, Cardinalis Literæ. Ad has Literas (si nescis) Responsum ornauit Archipresbyter, in quo sanè iurisiurandi vsum præstat integrum, sed eius sensum non vsque adeò, vt videbatur, syncerum. In iuramenti sensu nutantem erexit noua & operosa* Quæstio, *ac ad diligentiorem, tàm de sacramento Fidelitatis, quàm de terreno Ponti-*

ficis dominio cõmentationem pertraxit. Harum Quæstionũ historiam omnem nostro idiomate primò exceptam operæpretium videbatur literis propagari Latinis: tùm vt ne reliquum Orbem, ipsumq; adeò Latiũ, cuius ea res maximè ageretur, latere posset, quid in iuramenti causâ apud nos esset actum: tùm quòd vulgò prodesset intelligi, quid de hyperbolicâ ista Põtificis Romani potestate moderatiores (ijq; magnæ inter eos authoritatis & doctrinæ) Pontificij censeant, vbi prouocati imperio Magistratus, veritatisq; conscientiâ victi, necesse habent fidem liberare. Forsan etiam iuuabat opinionum inter ipsos varietatem scire, & quem agnoscit Cardinalis veterem amicum & familiarem suum, eum (nec eum solùm) quantumuis in Fide consentiat, de Fidelitate tamen, & tẽporali

Pontificis

Pontificis dominio (& verò, quo magis mirêre, cum Bellarmino sentientem) à Bellarmino dissentire. Huic editionis Latinæ consilio stimulos addebat, quòd vehemens istius operis desiderium (cuius apud magnos Authores vestigia passîm incurrebant) exteros subijsse constaret, qui certamen de iuramento tàm expectatum, tàm nobile cupidi atque attenti iam spectantes, ab hâc scena se excludi ferebant iniquissimè. Hôc consilio Latinè prodeũt, quæ in typis vulgaribus iampridẽ extant Blacuellianæ Quæstionis Acta: tametsi qui Operis ipsius seriem, qua prudentia contextã, qui interrogationũ capita alia ex alijs, quo cõsiliô nexa, qui omnes causæ cõtrouersæ latebras qua solertiâ perquisitas, quo iudicio discussas propiùs attẽdet: is herclè non plebeio, nõ vulgari, sed prudenti tantûm, & docto

lectori natum, dignumq; vel propter se (etiamsi aliæ absint causæ) quod in vno non pereat idiomate, sed in omnium nationũ eruditos homines ad posteritatẽ propagetur. Hãc ego cùm peregrinis plurimo meo labore, operã dederim: id gratiæ videor ab illis vicissim promeritus, vt industriæ meæ faueãt, vt styli culpas, vt lutulentã orationẽ studio meo condonent. Quanquam & faciunt imperitè, qui ab Interprete, vt ab Authore stylum exigũt: & ipsius, quod præ manu est, spinosa argumenti ratio spectare vetat orationis cultum, dùm præstetur fides. Id est hîc factũ sedulò, &, si verbi non semper faciem, sed vim spectes, non vereor, quin satisfactum. Vale

A tuo

Io. VVILSONO.

# EXTANT IN HOC CODICE:


IN Archipresbyterum recèns comprehensum Quæstio prior, ad eius de Fidelitate iusiurandum perducta pag. 1.

Eiusdem ad Sacerdotes Pontificios Epistola, de licito illius iuramenti vsu. pag. 14.

Cardinalis Bellarmini literæ ad Archipresbyterum, quem de præstito Fidelitatis sacramento, grauiùs reprehendit. pag. 29.

Archipresbyteri ad easdem Responsum, in quo iuramenti æquitatem tuetur, eius tamen sensum ad ciuilem Pontificis authoritatem videtur, præter iurisiurandi scopum, restringere. pag 38.

Hinc nata est in Archipresbyterum altera Quæstio, quæ & iuramenti vim omnẽ, & debitam Principibus fidẽ & obsequium, totamq; Pontificis, siue ordinariam, siue ad spiritualia ordinatam in temporalibus potestatem excutit. pag. 51.

Archipresbyteri ad Pontificios secũda, de admittendô Fidelitatis iuramentô, Epistola. pag. 169.

Tabulæ publicæ, quibus Quæstionis proximæ acta in Curia frequente recognoscit. pag. 192.


---

Visum

*Visum est (vt affines huic argumento) ex Archiuis addi:*

1 *Quæstionem habitam Anno* 1570, *in* Thomam VVatsonum, *paulò antè Episcopum Lincolniensem:* Ioannem Fecknamum, *Abbatem Westmonasterienſem:* Henricum Colum, *Decanum Ecclesiæ S. Pauli Lond.* Ioannem Harpesfieldium, *Archidiaconum Londinensem:* Nicolaum Harpesfieldium, *Archidiaconum Cantuariensem, homines cum primis doctos, qui pro causâ Pontificiâ obstinati cùm essent, dignitatibus suis pridem exuti, in custodiâ per id tempus degebant; super Articulis quibusdam, de Bullâ Anathematis, contra Reginam Elizabetham, à Pio Quinto tùm recèns in Angliam missâ: quorum omnium responsa cum iuramento Fidelitatis congruunt. pag.* 197.

2 *Fidelitatis quandam formulam, quam ante octennium scripto conceptam Sacerdotes ê Pontificijs Sæculares, in obsequij fideiq; suæ autoramentum erga eandem Reginæ Elizabethæ Maiestatem, subscriptâ manu frequentes sunt professi. pag.* 203.

QVÆ-

# QVÆSTIO PRIOR

## DE M. GEORGIO BLACVELLO ad Palatium Lambethense diuersis temporibus habita

*A Reuerendißimo Domino D. Archiepiscopo* Cantuarienſi, eiuſque aliquot *Aſſeſſoribus, rerum Eccleſiaſticarum cognitioni, ex præcipuo Maieſtatis Regiæ mandato, præfectis.*

---

## Quæstionis prioris sectio prima.

UNIV. LIB. CAMB.

*25. Junij. 1607.*

INterrogatus primùm, an *Blacuellus* eſſet: reſpondit ex S. Chryſoſtomo, locum illum interpretante: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*: ſe, priuſquam in poteſtatẽ veniſſet, omnem intelligere, capitis ſui, id eſt, fidei gratiâ conſeruandæ, permiſſam ſibi cautionem: ad Magiſtratus autem tribunal perducto candoris

*Comprehenſus eſt Londini iuxta* Clerkenwel *24. Iunij, Ioanni Baptiſtæ die ſolenni, ſub veſperum.*

doris partes & ſimplicitatis, abſque fuco aut aſtu incumbere. Faſſus proinde eſt, ſe *Georgij Blacuelli* vero vocari nomine, eſſe *Archi-presbyterum*, eamque procurationem decennium plus minus iam obire.

*Georgius Blacuellus Archi-presbyter.*

---

## Quæſtionis prioris ſectio ſecũda. 26. *Iunij*. 1607.

PVblicas de ſua ſalute literas negat ſe habere impetratas: de ijs quippe obtinendis aliquando cogitantem, peruulgatâ nominis ſui aſſiduitate deterritis omnibus, qui de ijſdem apud Magiſtratum ageret, non inueniſſe.

Rogatus, quâ fiducia eam, quâ tum vteretur, præfecturam ſuſcepiſſet, vt in priſtinæ Reginæ, Regiſque Sereniſſimi ſubditos, Maieſtatum ſuarum iniuſſu, dirigendi & imperandi vices vſurparet: reſpondet, Non appetîſſe ſe prouinciam illam, ſed impoſitam ſuſtinuiſſe, id inprimis ſecutum, vt Sacerdotes in officio contineret, & illegitimos omnes (quantum in ipſo eſſet) conatus reprimeret.

---

Quæſtio-

# Quæstionis prioris sectio tertia.

## *vltimo die Junij*, 1607.

COntigerat per hosce dies in vulgus serpere libellum quendam, sic inscriptum: *Quæstiones duæ de sacris alienis non adeundis, ad vsum praximq; Angliæ breuiter explicatæ.* De eo interrogatus Blacuellus, siquid resciret, quâ natus ex causa, quô authore esset editus: respondet, sibi quidem videri, authorem habere Parsonium: eiusque se coniecturæ ex inscriptis fronti literis (R. P.) non alio indicio argumentum sumere.

Sed & ei causam arbitratur dedisse Thomæ Wrighti sacerdotis (sic enim coniectat) commentariolum quoddam trium putâ foliorum, quod aliquot rationum contextu, liberum Angliæ Catholicis ad Protestantium sacra aditum patefecerat. Delatum Romam hunc argumentorum manipulum (ipso tamen, quod maximè intelligi vult, nec authore, nec quidem conscio) Tractatu illo, vt videre est, confutatum redijsse.

Rogatus, nùm sacerdotes Angli hôc Parsonij Tractatu, vt verâ rei controuersæ decisione, vulgô acquiescerent: respondit, nihilo videri minùs in suo quenque sensu abundare, &c.

## Quæstionis prioris sectio quarta. *Calendis Iulij*, 1607.

ATETVR Blacuellus, se ab Hẽrico Cardinale Caietano Archipresbyterum renuntiatum, id quod ex ipsius literis constat, sic exorsis: * *Scitum est*, &c. Datis autẽ Româ 7 Martij, 1598.

*Illum & reliquorum Breuium & literarum summa reiecta est in huius quæstionis calcem.

Sed & missa à Cardinale eâdem operâ mandata quædam, quibus in administrandis rebus vteretur. Ea hinc incipere: *Cùm præcipua intentio suæ Sanctitatis sit*, &c: eôdem die cum literis prædictis data. Hasce literas cum mandatis nono die Maij consequentis sibi redditas.

De earum argumento duos statim compresbyteros docuisse: muneriſque sui procurationem, ad constituendam pacem & ferociam nonnullis minuendam, deinceps adijsse.

Traditas Nouembri insequente à Cardinale Caietano literas secundas, quibus initium esset: *Admodùm Reuerende.*

Has subsecutum anno postero à Clemente PP. octauo *Breue* quoddam, quod ratam hanc sibi haberet prouinciam: ita cœptum: *Ad futuram rei memoriam*, &c. Datum sexto die Aprilis, Anni 1599. Id se suis quibusdam diuulgâsse.

Huic anno additas ab eodem Cardinale *Facultates* quasdam Spirituales numero octonario, ad suos aliquot

aliquot adiutores, cum literis pòst à se dimissas. Illis titulum esse: *Facultates concedendæ sacerdotibus.* Literas verò, quas ad collegas suos emiserat, sic habere initium: *Dilectissimi coadiutores: iam tandem à superioribus deducta est ad me potestas communicandi facultates*, &c.

*Horum omnium (quod sciri debet) tùm Breuium tùm literarum exemplaria à D. Archiepiscopo Cantuariensi, penes quem extabant, prolata sunt in mediũ, & à Blacuello pro veris agnita.*

---

## Quæstionis prioris sectio quinta.

## 2. *Julij*, 1607.

AGNOSCIT à Clemente octauo alterum ad se *Breue* perlatũ, inceptum in hæc verba: *Cùm nobilissimum Angliæ Regnum*: Datum Româ à Diui Marci, 17. Augusti, 1601.

Huic * *Breui* publicando operam à se datam, quod Archipresbyteri munus, suamque in omnes Angliæ Catholicos prę fecturam itidem agnosceret. Id se post comperisse, haud satis plenâ authoritate summissum in Angliam. *Eo prohibita est librorum factiosorum lectio.*

Prodeuntibus per id tempus *Superiorum permissu* libris quibusdam, edixisse se Catholicis, nemini futuram fraudi eorum lectionem; neque enim in præfati *Breuis* interdictum incurrisse.

Tertium denique *Breue* Româ accepiſſe, hôc exordio: *Venerunt nuper ad nos nounulli ſacerdotes Angliæ:* Datum ad quintum Octobris 1602.

Huic ſe publicando nequaquam defuiſſe: tametſi quorum operâ impetratum eſſet, offenſi Sacerdotes hoc ipſius officium, eôdem typis excuſo, anteuerterant.

Solennes ipſius mandato Catholicis, in tacita animi ſui vota, preces aliquando indictas: quæ quidem vota id ſequerentur, non vt Hibernis defunctæ Reginæ perduellibus res euenirent proſperæ: ſed quod *Infantam* concepiſſe, crebris vulgi rumoribus iactaretur, vt ea partu vteretur ſecundo. De illis verò Hiberniæ rebus quippe ſibi ab initio exoſis, omni modo purgatum ſe ait velle.

Poſtquàm Reginâ fato perfunctâ, Maieſtatem ſuam cognouiſſet publicè Regem ſalutari, vehementer ſe ea re lætatum eſſe & Reipublicæ gratulatum: ignemque (vt fit) compitalitium in vicinia celebrantibus vina largitum. Deinceps verò ingruentis aliquid mali ſubueritum, quòd è ſuis quoſdam animaduerteret (quorum in turbulenta conſilia nimium ſemper ſtudium experiendo ſenſerat) multis præter morem affectantibus, luxuque & faſtu inſolito aſſiduos prodire: literas ſe in omnes cuiuſque modi Catholicos monitorias, & verò (quantum in ipſo eſſet) mandatorias edidiſſe, vti omni ſe ratione continere, neu quid noui moliri vellent: quin, vt ſubditos æquum eſſet, ad obedientiæ, paciſque ſtudia mores, vitamque ſuam traducerent.

Pro-

Promulgato, ex decreto Ordinum proximè conuenientium, *Fidelitatis* sacramento: se continuò apud suos edicere, rem esse licitam, æquam, Catholicis liberam: deniq́ue hortari suscipiendum. Sed & Sacerdotes vnà sentire frequentes: quanquàm essent, qui contrà etiam dicerent.

Diffisum tamen, ne sua isthæc in rê iuramenti ratio, delata Romam, haud satis secundis auribus exciperetur, se paulò pòst Singletono presbytero, in exilium exeunti, sententiæ suæ & consilij causas diligenter exponere, ad Pontificem vel ipsum, pro re natâ, deferendas.

Cæterùm rem ita cupidè Romæ gestam, vt eò contendenti Singletono ad vrbem Siennam interuenerit* *Breue* quoddam ab hodierno Pontifice Paulo quinto, quod in Belgiam cogitabat, ad nos isthînc perferendum. * *Contra iuramenti vsum.*

Postquam hînc soluisset Singletonus, se adeò non satis eorum authoritate fretum, quæ verbo-tenus in eius fidem mandauerat, sedulò ornare Nuncium, qui rationes suas Romam scriptas perferat: sed & iuuandæ festinationi, dùm is instruitur, argumenta sua, expeditiore itinere cum literis curare præmittenda, vt omnia Pontificis siue mandata siue *Breuia* huic iuramento aduersa occupet.

Rem tamen eò deductam, vt hisce literis Romam perlatis, non esset, qui ad Pontificem de rationibus suis auderet referre. Singletonum Româ renunciare, primi nominis Cardinales, hominesq́ue eius ciuitatis doctissimos, eâ de re à se consultos, omnes contra ipsius opinionem vehementer sentire: seq́ue

ſeque porrò ait accepiſſe, eandem Salamanticenſis ſcholæ decreto erroris iampridem damnari.

Haud diu pòſt, Siennenſe illud Breue ad ipſum peruenisſe, non tamen præcipuo aliquo ad ſe magis, quàm ad reliquum Catholicorum vulgus mandato.

Eius ſe cum cęteris perinde accepti conſcios quidem adhibuiſſe nonnullos, haudquaquam verò peruulgâſſe: quin ſe eo nomine domi foriſque poſtulatum, & verò grauiùs reprehenſum; impenſiùs verò ſiqui vrgerent, reſpondiſſe, Non placere, laqueo collum ſuum vltrò inſerere.

* Literarum itaque, quæ tùm obiectæ erant (quarti Calendas Octobris, 1606.) vehementer negat aut operam vllam aut conſcientiam fuiſſe ſuam: ſed eas confirmat, nomini ſuo per fraudem ſuppoſitas.

** Hæ litere Breuis prædicti, contra Fidelitatis iuramentum, publicationi ſubſeruiebant.*

---

## Quæſtionis prioris ſectio ſexta.

### 3. *Iulij*, 1607.

INterrogatus, nùm eum pridiè commemorati *Breuis* interuẽtu, priſtinæ, de iuramenti æquitate, ſententiæ pœniteret: is poſtquam aliquandiu ſubſtitiſſet, opinionis ſuæ conſtantiam reſpondit, neque *Breuis* illius religione, neque hactenus oppoſitæ rationis cuiuſquam momento eſſe aliqua ex parte inclinatam.

Rogatus

Rogatus ergò, quid de eo sacramento iam statuat, nùm huius Regni Catholicis integrum etiamnùm censeat, nùm id exemplo suo præire iussus velit: respondet; Si eum equidem includat sensum, quẽ præ se ferũt Maiestatis suæ verba quędam apud Patres & Plebem in Comitijs * habita, quibus Ecclesiæ Romanæ eâ in re doctrina perstringitur: in hâc se esse sententiâ: non integram modò omnibus Catholicorum ordinibus, sed & debitam esse eius iuramenti professionem: eamque se, vbi exigetur, non detrectaturum. Optatque adeò datam sibi *Druræi*, postquam capitis dãnatus esset, conueniendi potestatem: de cuius vitâ intelligit impetratum iri, modò sacramenti huius oblatâ conditione vti vellet.

* 19. Martij, 1603.

Maiestatis suæ verba sic habent. Litera C pag. 1.

*Doctrinæ caput Pontificijs intelligimus esse importunum illum & ambitiosum, quem Capiti suo* Pontifici *ascribunt authoritatis Primatum: cuius adeò prærogatiuâ non modò spiritualem in Christianorum orbem, sed & in Regum ac Cæsarum solia & Diademata, Imperialem & ciuilem sibi arrogat Principatum, vt ea pede deijcere, eadem dispensare & disponere ad libitum & appetitũ possit. Alterum caput quod in eorum moribus & praxi assiduum videre licet, intelligi volumus Regum percussiones & parricidia, vt quibus meritis res sit, tantum absunt vt in factis ducant impijs, si in Principem suum, cui naturæ conditione omnia debeant pietatis officia, nullas perduellium, nullas hostium partes omiserint, postquam percussus Anathemate, subditos habeat Fidelitatis voto solutos, Regnumq; à triuertice eorum Monarchâ, seu Monstro verius, publicatum.*

Interrogatus deinceps, possitne animum inducere, vt quam de licito eius iuramenti vsu sententiam verbis sit professus, eam (cùm sibi neget immutatam) sacerdotibus scripto commendet: respondet; Se eam opinionem certis argumentis, Romam (vt dictum sit) iamdiu missis, initio habuisse fundatam: quam (cùm adhuc retineat integram) non admodum pugnare, quin vt sermone pridem apud sacerdotes aliquot, ita nunc literis exequatur, nisi ea

res plurimum habeat inuidiæ & æmulationis. De cætero verò addit, se Maiestatis suæ verbis (vt suprà) confisum, cùm præsertìm in iuramenti fabricâ Ordinum diligentiam attendat, quàm Pontificis in excommunicando authoritatem consultò prætereuntes, hûc curam omnem conuerterint, nequid ex ijsce consequentijs Respublica detrimenti caperet, quas Anathematis potestati videbatur Catholicorum doctrina affingere (cuius exempli nonnullas vulgò hinc deductas, ipsa iurisiurandi compages continet:) non recusare, quo minùs iudicium suum literis consignatum in Catholicos per omnem Angliam sacerdotes edat, licitum illis esse, ex sensu præfato, iuramenti vsum: cuius rei fidem suscepti iurisiurandi autoramento confirmat, in hæc verba:

*Ego* Georgius Blacuellus *verè & syncerè agnosco, profiteor, & conscientia teste, coram Deo & hominibus declaro, Serenissimum Dominum nostrum Regem* Iacobum *legitimum esse, optimoq; iure huius Regni & reliquarum Maiestatis suæ ditionum & Prouinciarum Regem: neque posse Romanum Pontificem vel à se, vel vllius authoritatis vi ab Ecclesia aut Sede Romana acquisitæ, vel aliâ quauis ratione etiam cum alijs coniunctâ, Regem deponere, aut de ipsius Regnis vel dominijs disponere, vel extraneo cuiuis Principi ipsum, aut ipsius territoria inuadendi aut infestandi potestatem facere; vel ex suis subditis quemlibet à fide atque obedientiâ Maiestati suæ debitâ exauthorare; vel illorum cuipiam facultatem permittere arma in eum gerendi, tumultus ciendi, aut Maiestatis suæ personæ, statui, regimini, vel subditis suis, intra ditionis suæ ambitum, vim aut*

*noxam*

noxam inferendi.

Item ex animo iuro, quod non obstante qualibet declaratione, siue sententiâ Excommunicationis aut Priuationis factâ vel concessâ, aut faciendâ vel concedendâ per Papam aut eius successores, vel cuiusuis authoritatis vi ab ipso aut ab eius Sede deriuatæ, vel deriuari prætensæ, contra prædictum Regem, illiusve hæredes, aut successores, vel quâuis dictorum subditorum à suâ obedientiâ exauthoratione, ego tamen fidem & syncerum obsequium Maiestati suæ ac eius hæredibus & successoribus præstabo; illum atque illos pro viribus defendam contra omnes conspirationes & conatus, quicunque in eius vel eorum personas, Coronam, & dignitatem, ratione vel prætextu eiusmodi sententiæ aut declarationis, vel aliâs fient: operamque dabo sedulam, vt omnes coniurationes & conatus proditorios Regiæ Maiestati eiusque hæredibus & successoribus detegam & patefaciam, quos contra ipsum, aut eorum quemlibet resciero, vel accepero comparari.

Porrò etiam iuro me ex animo abhorrere, detestari, & vt impiam & hæreticam, abiurare execrabilem hanc doctrinam & assertionem: Principes à Papa excommunicatos, vel iure Regali exutos, licitè posse à subditis suis vel quôcunque alio, Regno vel etiam vitâ priuari

Quinetiam credo & certâ conscientiâ teneo, neque Papam neque quemuis alium posse me ab hoc iuramento, vel vllâ eius particulâ absoluere; quod quidem agnosco rectâ & plenâ authoritate ac legitimè mihi esse propositum, omnibusque Indulgentijs & Dispensationibus in contrarium renuncio.

*Hæc autem omnia ingenùe & syncerè agnosco ac iuro, iuxta expressa verba per me hic prolata, & iuxta planum & vulgarem eorundem sensum & intellectum, absque vlla æquiuocatione, vel mentali subterfugio, aut tacita quacunque reseruatione. Hancq́ recognitionem & agnitionem ex animo, libentèr, & syncerè facio, in vera fide hominis Christiani: ita me Deus adiuuet.*

Georgius Blacuellus Archipresbyter.

---

## Quæstionis prioris sectio 7. 4. *Iulij*, 1607.

* 19. Martij, 1603.

BLacuellus, quòd in sermone Regio (quē pro Comitijs *habitum, typi post exceperint) aliquid iuramento suo videatur occultare pręsidij, mentē suam iubetur explicare diligentiùs, quam loci suprà citati sententiam sequatur. Eum enim posse illi sensum comminisci, vt pridiana iurisiurandi dictio planè fiat inutilis, nec quod profiteatur officium vlla ex parte impleat: cùm Maiestatis suæ minimè sit obscura sententia, ab *appetitu* & temeritate proficisci, siquis Pontificum Romanorum eò venerit fastus & insolentiæ, vt edicto in Reges Anathemate, subditis eôdem impetu innatam obsequij legem soluat, classicum ad arma canat, in Principum suorum capita, in omnia seditionum & tumultuum con-

consilia eosdem instruat authoritate suâ; denique in salutem siue Eorum, siue publicam ista molientibus auxilio esse iubeat. Blacuellus vt superiori sententiæ lucem præferat, sic se ait statuere: Legitimi Anathematis potestatem nullos fundere istiusmodi fructus, nullos ferre. Sed & omninò sibi polliceri, Romano Pontifici haud vnquam venturum in mentem, vt in Maiestatem suam Excommunicationis sententiam ferat: quod siquo tamen casu faxit, populumque omnẽ eâdem operâ Fidelitatis suæ religione exuat, ad perduellium, ad sicariorum officia prouocet: certum sibi tamen & deliberatum esse, in fide & obsequio nihilo segniùs permanere, omnesque debere Catholicos, etsi simili Anathematis periculo inuolutos, pari animo esse. Persuasum enim habere, in eâque sententiâ animum obfirmâsse, non posse iure in Maiestatem suam edi aut promulgari legitimi moris Excommunicationem, cui istiusmodi consequentiarum vis ac potestas ritè ascribi debeat: sed nec eius interdicto subditis conditionem mutari, quin eôdem prorsus, ad omnem iuris effectum, obsequij fideique nexu, tanquam non declaratâ, non latâ, non institutâ denique illâ Sententiâ, erga Maiestatem suam obstricti teneantur.

*Georgius Blacuellus*
*Archipresbyter.*

# M. Georgij Blacuelli ad Coadiutores *ſuos, relìquoſque Sacerdotes* Epiſtola, vt ad præſcriptum Fidelitatis *ſacramentum non ipſi modò (ſi ita res ferat)* promptè velint deſcendere, ſed & cæteris ſuæ diſciplinæ Catholicis eiuſdem ſubeundi authores eſſe.

*Reuerendi admodum Adiutores, fratreſq; mei cum primis dilecti: quàm multos apud vos annos in ſummis anguſtijs exegerim, quã ſemper imminentibus, prementibus ſæpè periculis diuino præſidio ſim ereptus, vobis teſtibus vti poſſum. Factum tamen eſt Dei Opt. Max. conſilio, diebus hiſce proximis, vt iamdiu mihi inhiantis cuiuſdam faucibus ſim obiectus: cuius ego animæ ſaluti ſi parem curam remetiri poſſim, quam is miſelli corporis mei comprehenſioni dederit, non niſi pij videor & Chriſtiani hominis officio perfunctus. Eſt quod Deo gratiam imprimis habeam, quòd in perpetuo per duodecim hoſce dies arctioris cuſtodiæ, & ad Palatium Lambethenſe* octauò de me repetitæ Quęſtionis tædio verſatus, nullam intereà cuiuis præbuerim ſecùs de me loquendi cauſam, nullius facti conſcius mihi ſim, quod ſperem à vobis grauiùs vel acerbiùs auditurũ. Accidit verò (quod equidem piget referre) vt per hoc Quæſtionis meæ negotium, inſignem in noſtris deprehenderim læſæ integritatis culpam. Ecce enim coràm prolata*

* Octauo die rationes ſuas pro Fidelitatis iuramento exhibuit.

prolata à Domino Archiepiſcopo (rem mihi viſu minimè iucũdam) tùm Sanctitatis ſuæ Breuia, tùm quæ illis diuulgandis ſubſeruierant, literarum mearum exempla, multaq; ad hæc noſtrarum actionum tàm luculenta indicia, vt ſine infamiæ & turpitudinis fædiſſimâ notâ haud facile mihi eſſet veritatis impetum in rebus obiectis declinare. Quæſtionis autem caput erat, nùm eadem mihi perſtaret, de ſacramenti pro Fidelitate ſanciti vſu legitimo, an noua ſubÿſſet opinio. Ego verò, qui perſpicerem, quàm Sereniſſimo Regi Reiq; publicæ odioſa, quàm ſuſpecta res eſſet noſtra illius iuramenti detrectatio: eaque fundamenta animo diligenter repeterem, quibus fretus, negotio adhuc recente in publicam eius laudem conceſſiſſem: accederentq; quibus multùm confidebam, ex ſermone Regio (qui auditus publicè 19 Martij 1603. typorum operam deinceps adierit) rationum quarundam momenta: ſed & didiciſſem, Regni Ordines à Pontificio excommunicandi iure compoſitâ diligentiâ manum abſtinentes, id vnum ſpectâſſe, vt ab ijs conſequentijs Regiæ ſaluti cautum eſſet, quæ Anathematis potentiæ, ex Catholicorum (vt credebatur) diſciplinâ vulgo inſcriptæ, iuramenti formula repræſentat: his ego (inquam) alÿſque rebus inductus, in priùs ſuſceptam opinionem & ſacramentum Fidelitatis conſenſum meum palàm profitebar, ipſumque adeò, in eadem verba, quæ dictant Legis tabulæ, iuſiurandum dicebam.

Pòſt cùm in ſermonem veniſſet poteſtas Anathematis, ego ſanè ſic cenſui. Primò haud videri vnquam fore, vt Maieſtatis ſuæ excommunicandæ conſilium Pontifici ſubeat. Sed nec legitimæ Excommunicationis vim eſſe tantam, vt eorum effectuum atrocitati ſufficiat,

quos

quos ex ea pridem deductos ipsius notat iuramenti stylus. Dein, siquam fortè in Maiestatem suam intorqueat summus Pontifex Anathematis sententiam, quæ popularibus & iure debitam, & iuramento datam fidem remittere, quæ perduellionis & parricidij in Principem, quæ nullius non in patriam proditionis & perfidiæ videri queat quasi religionem inferre: mihi tamen è lege diuinâ persuasum esse (in quô adeò conspirare omnium debet, quibus modò sit mens integra, Catholicorũ sensus) non esse propterea boni ciuis officium, non pij subditi fidem deserendam. Mea enim sic est sententia, & sic animum induxi meum, non posse in Maiestatem suam iure à Pontifice declarari legitimum Excommunicationis decretum, quod horum effectuum immanitatem iubere, vel etiam operari (vt dictum est) aut possit aut debeat. Sed & vniuersis Eius subditis (siquid huius fieri contingat) nihilo minùs integrum manere ad omnem iuris effectum, tanquam nullâ Anathematis sententiâ, obsequij, officijque sui vinculum. Quamobrem incertum cùm sit, deturnè ad vos reliqua scribendi facultas, animi hâc in re mei conscientiam liberiùs volebam effundere: facilè mihi pollicitus, vos (adiutores mei, fratrésque charissimi) huic iuramento (vbi vsus venerit) meo exemplo non defuturos: plebémque Catholicam vestris præceptis ita reddituros institutam, vt ad hoc sacramentum euocati, ne declinent. Hinc erit, vt iniuriâ nobis aspersam proditionis & perfidiæ maculam diluamus. Hinc erit, vt è plebe Catholici fortunarum suarum naufragiũ & calamitatẽ effugiant. Hinc erit, vt (officio Sanctitati suæ gratissimo) Deo & Principi nostro suum cuique obsequium reddamus. Magnum hinc emolumentum,

*tum, vberémque multarum consolationum fructum haud dubiè percipiemus. Extrema vox erit illa Apostoli*; Charitas mea cum omnibus vobis in Christo Iesu. Amen.

Westmonasterij è Carcere, 7. Iulij, 1607.

*Georgius Blacuellus Archipresbyter & Protonotarius Apostolicus.*

*Inscriptum,*

Reuerendis adiutoribus & dilectis fratribus meis.

## 8. Iulij, 1607.

Has literas coràm recitatas agnoscit G. Blacuellus sua manu scriptas, suaéque consentaneas esse menti & iudicio, quod adeò sponte à se traditum fatetur, non vi aut iniqua aliqua ratione elicitum.

*Nequis effugio aut calumniæ locus esset, placuit, hanc Epistolam apud nonnullos sanctioris Consilij à Blacuello recognosci, quod ab eo perindè est factum.*

*R. Cant. T. Ellesmere* Canc. *T. Dorset.*

*H. Northampton. Salisburie.*

*E. Wotton. Iul. Cæsar.*

UNIV. LIB. CAMB.

D SVM-

# SVMMA BREVIVM eorum, de quibus in Priore Quæstione passim fit mentio.

## *Capita primi* Breuis *in huius Quæstionis quarta sectione memorati, cui initium*: Scitum est, *&c.*

HVius *Breuis* summa est, Pontificem speciali mandato Cardinali Caietano, Anglicanæ nationis Protectori, iniunxisse, vt ad exemplum Collegij Romani, de aliqua inter eos, qui in Anglia sacerdotes degerent, pacis constituendæ ratione cogitaret. Re ex Cardinalis & aliorum consilio deliberatâ, visum esse Pontifici, vt pro ijs sacerdotibus Anglicanæ nationis dirigendis ac gubernandis, qui in Angliæ Scotiæve regnis versarentur, aliqua subordinatio constitueretur, Blacuelluſque cæteris, authoritate Archipresbyteri, præesset. Delegatam illi potestatem eosdem dirigendi, admonendi, reprehendendi & castigandi; facultates eorum reuocandi, ipsosque de vna residentia in aliam mouendi ac commutandi. Licere porrò quemcunque ad se sacerdotem vocare ac conuenire, plures vnum

in

in locum conuocare, congregatis præesse, eosque (siquando opus esset) pœnis coercere Ecclesiasticis. Vt verò faciliùs hanc prouinciam sustineret, duodecim ei coadiutores adsciscendos, quibus, vt & ipsi, iniunctum esset, vt sexto quoque mense de statu rerum suarum, vt de eisdem Papa cognosceret, literas Romam darent. Præcipuum huius subordinationis finem esse, vt præ cæteris pax & vnio conseruaretur inter presbyteros sæculares & Iesuitas, qui pro Anglicanâ causâ sustinendâ strenuè laborarent, fundandis Seminarijs, &c. Fraudem & astutiam Satanæ esse, vt quisquam Catholicus æmulationem in eos excitaret: quam concordiam siquis labefactare studeret, eum vel admonitione corrigendum, vel pœnâ coercendum.

## *Summa Mandatorum, quæ Cardinalis præfatus ad Archipresbyterum dederat, quorum in eâdem sectione fit mentio.*

CVm præcipua Pontificis intentio, per subordinationem prædictam esset, vt Archipresbyter eiusque Consultores dissensionum, æmulationum, ac schismatum occasionibus tollendis inuigilarent: mandatum est, vt de ijs, qui diffidij causam præberent, Protectorem per literas certiorem facerent. Vt Archipresbyter nihil efficeret maioris momenti sine Assistentium consilio, si id commo-

dè haberi posset. Vt præter Archipresbyterum, nemini imposterum potestas esset, presbyteris Sæcularibus Facultates concedendi, neque Iesuitis, præter Superiorem Societatis. Vt neque Archipresbyter, neque eius Consultores iurisdictione sibi commissa vterentur, nisi vbi necessitas postularet. Siquid inter Iesuitas emendandum occurreret, vt Archipresbyter, eiusque Assistentes cum illorum Superiore de ea re agerent; qui si remedium non adhibuisset, tùm vel ad Protectorem, vel Præpositum generalem scriberent. Vt Archipresbyter in rebus maioribus Superioris prædicti consilium exquireret, quòd eius magna esset in rebus Angliæ experientia. Vt literas suas ad Collegij Duacensis Præsidem darent, Romam perferendas. Vt Archipresbyter operam daret Sacerdotum Visbicensium, & aliorum dissidijs componendis. Vt in Archipresbyteri arbitrio esset, sacerdotes ab vna domo vel residentia in aliam mutare.

## *Summa literarum, quæ à Cardinali ad Archipresbyterum datæ sint: de quibus in eâdem sectione habetur mentio. Sic autem cœperant:* Admodum Reuerende, *&c.*

ARchipresbyter (vti colligere est) alijque, qui prædictæ subordinationi fauebant, & patres Iesuitæ gratias Cardinali egerant per literas, quibus significa-

ſignificabant, communi eam approbatione per Angliam receptam. Hiſce Cardinalis reſcribit, quantum ex eâ re Põtifex gaudium perceperit. Poſterioribus tamen nuncijs ad ſe perlatum, quoſdam refragari cœpiſſe, ac contẽtiones ciere, quibus Papam ſcribit turbari non mediocritèr. Proindè poſtulat ab Archipresbytero, idque iubente Papa, vt verè eum de ſingulis doceat, notatis reluctantium nominibus, cauſiſque quas renitentiæ ſuæ prætendant. Hortatur denique Archipresbyterum, vti ne defatigetur, ſi difficultates ac contradictiones nonnullas in ſuo regimine experiatur.

## *Summa* Breuis *à Clemente Papa* 8. *tranſmiſſi, de quo in eâdem ſectione ſermo eſt. Sic autem incipitur:* Ad futuram rei memoriam.

SVbortis contra Archipresbyteri ſubordinationem, Cardinaliſque in eo munere inſtituendo authoritatem, multis contentionibus: Papa hoc *Breui* agnoſcit, omnia Cardinalis in eâ re facta à ſuo mandato proueniſſe. Porrò item de plenitudine Apoſtolicæ authoritatis ſuæ, ad omnes deincèps lites præueniendas, ex certa ſcientia & mero motu confirmat & approbat, quicquid in hoc negotio à Cardinali factum eſſet: irritumque & inane decernit, ſiquid in contrarium aut attentatum eſſet, aut deinceps poſſet attentari.

## *Capita* Facultatum, *quarum in eâdem ſectione fit mentio.*

VT ab omnibus Cenſuris, in Bulla Cœnę Domini reſeruatis, per Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ regna poſſent abſoluere. Vt poſſent illis, quos reconciliâſſent, dare Apoſtolicam benedictionem, cum plenariâ indulgentiâ. Vt poſſent commutare vota ſimplicia, exceptis votis caſtitatis & religionis, in aliud opus pium. Vt poſſent diſpenſare cum illis, qui contraxiſſent in tertio & quarto gradu. Vt veſtes aliaq́; omnia, quæ ad Miſſam pertinerent, præter ea quæ requirerent Chriſma, poſſent conſecrare. Vt poſſent dare facultatem Catholicis legendi libros controuerſiarum à Catholicis ſcriptos in vulgari lingua. Vt cùm Breuiarium ferre, vel recitare officium ſine probabili periculo non poſſent, Pſalmis aliquot vel alijs orationibus, quas ſcirent memoritèr, recitatis illud ſupplerent.

## *Summa* Breuis *à Clemente Papa* 8. *dati, de quo mentio fit in huius* Quæſtionis *quinta ſectione. Initium habet:* Cùm nobiliſſimum Angliæ Regnum, *&c.*

HOc in *Breui* Papa duorum, quæ antea miſerat, *Breuium* ſummam, quæq́; eorum cauſæ eſſent, recenſet.

recenſet. Commemorat ſtudia partium, quæ inter presbyteros ſæculares, & Blacuellum eiuſque fautores, interueniſſent; nec minùs tractatum de *Schiſmate* à quodam ex Archipresbyteri partibus contra reliquos Sæculares editum: quem vtique tractatum, cùm Blacuellus rogatus nollet reuocare, acriorem hinc contentionem excitatam eſſe. Sæculares, Papæ literis diuulgatis, ſimultatem omnem depoſuiſſe. Eos tamen ab Archipresbyteri fautoribus ſchiſmaticos appellari: quam rem apud Archipresbyterum conqueſtos, nihil profeciſſe, niſi ſatisfactionem feciſſent, priuſquàm abſolutionis beneficium acciperent. Priſtinas hinc diſſenſiones recrudeſcere: eoſque Romam prouocâſſe, iniurias ſuas illic queſtos. Quamobrèm Papa Archipresbyterum aliquo modo reprehendit, monetque ſe totam hanc illi authoritatem, ad animarum ædificationem, non deſtructionem conceſſiſſe, vt gregem paſceret, eumque non coactè ſed ſpontaneè regeret, non dominans Clerum, ſed factus forma gregis. Adhibitiſque alijs admonitionibus & præceptis, quæ æquum eſſet obſeruare, qui in Eccleſiaſtica dignitate præeſſet, monet, vt ſeueritati manſuetudinem admiſceat: vt nec verbo aut ſcripto quenquam damnet, niſi rê maturè deliberatâ: vt libellos factioſos in vulgus edi minimè patiatur: vt ſubortam contentionum ſegetem, antequàm altiùs creſceret, celeri manu præcîdat. Sacerdotes verò Archipresbytero adhærentes hortatur, vt ea quæ ad pacem conſeruandam pertineant, ſedulò procurent: ne plus æquo ſibi arrogent: ne alios damnent, aut contemnant: neuè ſcripto aut verbo offendant.

offendant. Eodem modo cum Presbyteris ijs agit, qui Archipresbytero sunt reluctati, vt in gratiam cum cæteris redeant, & omnia libentèr Christo condonent: eorumque se Appellationi minimè deferendum duxisse, quòd eâ dissensionem pristinam augeri posse existimaret: Tractatum illum de *schismate* supprimit: & ne vlla huiusmodi scripta deinceps diuulgẽtur, aut retineantur, sub pœna Excommunicationis, præcipit. Nomen schismatis extinguit, eiusque mentionem sub eâdem pœnâ prohibet: multisque ad charitatem, & in officijs suis diligentiam adiectis persuasionibus, *Breue* illud concludit.

## *Summa* Breuis *à Clemente Papa* 8. *dati, cuius mentio fit in eâdem Sectione. Initium verò habet:* Venerunt nuper ad nos, *&c.*

NOn obstitit *Breue* prædictum, quo minùs offensi Sacerdotes Appellationem suam persequerentur: eique rei procuratores Romam mitterent: vbi causâ aliquo modo auditâ, Papa Archipresbyterum hîc monet, vt authoritate sua cautè & prudenter vtatur, neque facultates suas excedat, sicut quibusdam in rebus videbatur excessisse. Vt eam deinceps in Presbyteros, qui Seminariorum alumni non fuerant, aut laicos ne exerceret; neque facultatem vult illi competere infligendi censuras,

ſuras, aut ſtatuta condendi; neque contra presbyteros Appellantes, qui ad Romanam Curiam venerant, procedendi, niſi Protectore conſulto, eiuſque ſententiâ expectatâ: neque eoſdem de vnâ in aliam reſidentiam, niſi ex cauſa, transferendi. Mandat ei porrò in virtute Obedientiæ ſuæ, vt ſine vlla cuiuſquam offenſione, ac maiori cum animi quiete, & omnium pace & concordiâ, officio ſuo fungatur. Vt nulla negotia ad munus ipſius ſpectantia communicet aut tractet cum Prouinciali Ieſuitarum, vel alijs Religioſis eiuſdem Societatis in Anglia exiſtentibus, ne noua diſcordiæ occaſio præbeatur: neve de rebus ad eius Regimen pertinentibus, per literas, aut interpoſitam perſonam, quouis modo cum Ieſuitis in Romanâ Curia, vel alibi commorantibus agat; ſed omnia ad ſe vel ad Protectorem referat. Licitum verò decernit, Rectoribus Collegiorum, eiuſdem ſocietatis alumnis diſcedentibus literas teſtimoniales & commendatitias ad Archipresbyterum dare: & de ijs in acceſſu alendis & tractandis cauet. Quòd ſi contigiſſet aliquos ex Aſſiſtentibus deficere, in eorum locum ſubſtitui iubet tres ex presbyteris Appellantibus. Monet porrò, vt Eleemoſynæ, quas ex largitione Catholicorum copioſè acceperat colligi, fidelitèr diſtribuantur. Vt Appellationibus, quibus de iure deferendum eſſet, deferat, quæ ad Protectorem deuoluantur. Libros porrò omnes, in quibus aliquid contineatur contra inſtitutum Societatis Ieſu, damnat ac prohibet: mandat-

que sub pœna Excommunitationis, ne librivlli pro alterutra parte in posterum edantur. Denique Archipresbyterum, omnesque tàm Religiosos, quàm sæculares presbyteros hortatus, vti paci & concordiæ studentes, nolint altum sapere, hoc *Breue* concludit.

## *Summa* Breuis *à Paulo Papa 5. dati 10. Calend. Octob. 1606. cuius mentio facta est in eâdem sectione.*

HOc *Breui*, contra Wrighti sacerdotis rationes * superiùs memoratas, pro Protestantium templis adeundis, decernitur. Monentur etiã Catholici, ne se obstringant Fidelitatis sacramento: nullâ tamen (siqui secùs faxint) censurâ adhibitâ.

* *In Prior. Quæst. sect. 3.*

PLacuit, *Actionem hanc omnem edi in publicum, vt siquis forsan suboriatur scrupulus, Blacuellum liceat, eius eximendi causâ, in carcere, siqui volent, adire.*

IN

# IN M. GEORGIVM Blacuellum Angliæ Archipresbyterum à Clemente PP. 8. designatum,

# QVÆSTIO PRODVCTIOR,

Ad Palatium Lambethense plurium dierum negotio habita: & ad Maiestatis suæ præscriptum per singula interrogationum capita diligenter exacta.

*NATA ex Archipresbyteri, ad C. Bellarmini literas, eius in iurando officium criminantes, Responso clandestino, quo Blacuellus videbatur in suscepti iuramenti sensu prævaricari.*

PRÆFIXÆ vtræque sunt, tùm Cardinalis, tùm Archipresbyteri literæ.

*Addita est M. Blacuelli ad Pontificios Anglos, de licito iuramenti Fidelitatis vsu, Altera Epistola.*

# CARDINALIS BELlarmini literæ ad *M. Georgium Blacuellum*.

Admodùm Reuerendo Domino Georgio Blacuello Archipresbytero Anglorum, Robertus S. R. E. Cardinalis Bellarminus, S. D.

VEnerabilis in Christo Domine frater. Anni sunt ferè quadraginta, quòd inuicem non viderimus: sed ego tamen veteris nostræ consuetudinis nunquam oblitus sum, teque in vineâ Domini strenuè laborantem, quando aliter non potui, orationibus Deo commendare non destiti; me quoque in tuâ memoriâ toto hoc tempore vixisse, & in tuis orationibus ad Altare Domini locum aliquem habuisse non dubito.

Ita igitur ad hoc vsque tempus non verbis, aut literis, sed opere & veritate (vt Sanctus Ioannes loquitur) alter in alterius dilectione permansimus. Sed hoc silentium rumpere coegit nuncius, qui diebus istis de tuis vinculis & carcere ad nos venit. Qui quidem nuncius, etsi tristis videri poterat ob iacturam pastoralis tuę sollicitudinis, quam Ecclesia ista fecit: tamen lætus quoque videbatur, quoniàm ad Martyrij gloriam, quô donô Dei nullum est fœlicius, propinquabas, vt qui tot annis gregem tuum verbô & doctrinâ pauisses, nunc exemplo patientiæ glorioſiùs pascerès. Verùm hanc lætitiam non mediocritèr interturbauit, ac ferè corrupit tristis alius nuncius, qui de constantia tua in recusando illicito iuramento ab aduersarijs tentatâ, fortè etiam labefactâ & prostratâ succesſit. Neque enim, frater charissime, iuramentum illud ideò licitum esse potuit, quòd aliquo modo temperatum & modificatum offerebatur. Scis enim eiusmodi modificationes nihil esse aliud, quàm Satanæ dolos & versutias, vt fides Catholi-

ca

ca de primatu Sedis Apoſtolicæ vel apertè, vel occultè petatur, pro quâ fidê tot inclyti Martyres in iſtâ ipsâ Angliâ ad ſanguinem vſque pugnârunt. Certè enim quibuſcunque verbis iuramentum ab aduerſarijs fidei concipiatur in Regno iſto, eò tendit, vt auctoritas capitis Eccleſiæ à Succeſſore Sancti Petri ad ſucceſſorem Henrici octaui in Angliâ trãsferatur. Quod enim obtenditur de periculo vitæ Regis, ſi ſummus Pontifex eam in Angliâ poteſtatem habeat, quam in alijs omnibus Chriſtianis Regnis habet, inane prorſus eſſe, omnes qui ſunt aliquâ prudentiâ præditi facilè vident. Neque enim auditum eſt vnquàm ab initio naſcentis Eccleſiæ, vſque ad hæc noſtra tempora, quòd vllus Pontifex Maximus Principem vllum, quamuis hæreticum, quamuis ethnicum, quamuis perſecutorem, cædi mandauerit, aut cædem fortè ab aliquo patratam probauerit. Et cur (quæſo) vnus Rex Angliæ timet, quod ex tot Chriſtianis Principibus nullus timet, nullus timuit? Sed (vt dixi) vani iſti prætextus decipulæ ſunt, & ſtratage-

mata

mata Satanæ. Qualia non pauca in Historijs veterum temporum inueniuntur, quæ facilè referre possem, si non Epistolam, sed librum integrum scribendum suscepissem: vnum tantùm, exempli gratiâ, ad memoriam tibi reuocabo. Scribit Sanctus Gregorius Nazianzenus in primâ oratione in Iulianum Imperatorem, illum, vt simplicibus Christianis imponeret, in imaginibus Imperatorijs, quas Romani ciuili quodam genere honoris pro more adorabant, imagines deorum falsorum admiscuisse, vt nemo posset Imperatoris imaginem adorare, quin simul deorum simulachris cultum adhiberet. Hinc nimirùm fiebat, vt plurimi deciperentur, & siqui fortè fraudem subodorati, Imperatoris imaginem venerari recusarent, ij grauissimè punirentur, vt qui Cæsarem in suâ imagine contempsissent. Tale aliquid in Iuramento vobis oblato mihi videre videor, quod eâ fraude compositum est, vt nemo possit proditionem in Regem detestari, ciuilemque subiectionem profiteri, quin primatum Sedis Apostolicæ perfidè

perfidè abnegare cogatur. Sed Christi seruui, ac præsertim primarij Domini Sacerdotes, vbi periculum fidei subesse possit, tantum abesse debent à susceptione illiciti iuramenti, vt ab omni etiam suspicione simulationis pręstiti iuramenti cauere debeant, ne fidelibus populis vllum præuaricationis exemplum reliquisse videantur. Quod egregiè præstitit insignis ille Eleazarus, qui neque porcinas carnes comedere, neque simulare comedisse voluit, quamuis grauissima tormenta sibi cerneret imminere, ne (vt ipse ait in secundo libro *Maccabæorum*) multi iuuenum per eam simulationem ad legis pręuaricationem animarentur. Neque minùs fortitèr magnus Basilius, & exemplo ad res nostras magis accommodato, cum Valente Imperatore se gessit. Nam, vt in historiâ scribit Theodoretus, cùm Præfectus Imperatoris hæretici hortaretur Sanctum Basilium, vt non vellet, propter paruam dogmatum subtilitatẽ, Imperatori resistere, respondit vir ille sanctissimus & prudentissimus, non esse ferendum, vt de diuinis dogmatibus, vel vna syllaba corrumpatur, sed

potiùs pro eorum defensione omne genus supplicij amplectendum. Equidem arbitror non deesse apud vos, qui dogmatum subtilitatem esse dicant, quæ in iuramento Catholicis hominibus proposito continentur, & non esse propter rem tàm paruam Regis Imperio reluctandum. Sed non deërunt etiàm viri sancti, ac magno Basilio similes, qui palàm affirmabũt, Non esse de Diuinis dogmatibus, vel minimam aliquam syllabã corrũpendam, etiamsi tormenta & mors ipsa toleranda proponatur. Inter hos vnum, vel potiùs horum Principem atque antesignanum te esse, par est. Et quãuis vel inopinata comprehensio, vel acerbitas persequutionis, vel senectutis imbecillitas, vel quid aliud in causâ fuerit, vt constantia titubauerit; confidimus tamen de Domini pietate, & de diuturnâ tuâ virtute, fore, vt qui Sancti Petri & Sancti Marcellini casum aliquâ ex parte imitatus videris, eorundem fortitudinem, in reparandis viribus, & veritate asserendâ, fœlicitèr imiteris. Nam si rem totam diligentèr apud te cogitare volueris, videbis profectò non esse rem paruam, quę

ob

ob Iuramentum istud in discrimen adducitur, sed vnum ex præcipuis fidei nostræ capitibus, ac religionis Catholicę fundamentis. Audî enim, quid Apostolus noster magnus Gregorius, in Epistolâ quadragesimâ secundâ libri vndecimi scribat; *Apostolicæ Sedis reuerentia nullius præsumptione turbetur: tunc enim membrorum status integer perseuerat, si caput fidei nullâ pulsetur iniuriâ.* Itaque, S.Gregoriô teste, cùm de primatu sedis Apostolicæ vel turbandô, vel minuendô, vel tollendô satagitur, de ipso capite fidei amputandô, ac de totius corporis, omniumque membrorum statu dissipādô satagitur. Quod ipsum Sanctus Leo confirmat, in sermone tertio, de assumptione suâ ad Pontificatum, cùm ait: *Specialis cura Petri à Domino suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit.* Ex quo idem ipse, in Epistola ad Episcopos Viennensis prouincię, affirmare non dubitat *Necesse esse, exortem illum mysterii esse diuini, qui ausus fuerit à Petri soliditate recedere.* Qui rursum ait; *Quisquis huic Sedi principatum exi-*

*iſtimat denegandum, illius quidem nullo modo poteſt minuere dignitatem, ſed inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſuæ, ſemetipſum in infernum demergit.* Atque hæc quidem & alia eiuſdem generis multa tibi notiſſima eſſe certò ſcio, qui præter cęteros libros *Viſibilem Monarchiam* Sanderi tui, ſcriptoris diligentiſſimi, & de Eccleſiâ Anglicanâ optimè meriti, ſæpè legiſti: quiſque ignorare non potes, ſanctiſſimos viros, eoſdemque doctiſſimos, Ioannem Roffenſem, & Thomam Morum pro hôc vno grauiſſimo dogmate duces ad Martyrium plurimis alijs, cum ingenti Anglicæ nationis gloriâ, noſtrâ memoriâ fuiſſe. Sed ad memoriam tibi reuocare volui, vt colligas te, & magnitudinem rei conſiderans, non tuo iudicio nimiũ fidas, neque plus ſapias quàm oportet ſapere: & ſi fortè lapſus tuus non ex inconſideratione, ſed ex infirmitate humanâ, ex metu carceris, & ſuppliciorũ profectus eſt: non anteponas libertatem temporalem libertati gloriæ filiorum Dei, neq; ob momentaneam, & leuem tribulationem fugiendam, amittere velis æternum gloriæ pondus, quod ipſa tribulatio operatur in te.

Bonum

Bonum certamen diù certâſti, curſum fermè conſummâſti, fidem tot annis ſeruâſti, noli igitur tantorum laborum præmia tàm facilè perdere, nolî coronâ iuſtitiæ, quæ tibi iamdudũ paratur, teipſum priuare, noli tot fratrum & filiorum tuorum vultus confundere. In te ſunt hoc tempore coniecti oculi totius Eccleſiæ, quinetiam ſpectaculum factus es mũdo, Angelis & hominibus: noli in extremo actu ita te gerere, vt & tuis luctum, & gaudium hoſtibus relinquas. Sed contrà potiùs (quod omninò ſperamus, & pro quo ad Deum noſtrum aſſiduè preces fundimus) vexillum fidei gloriosè erigas, & quã contriſtaueras, lætam facias Eccleſiam, nec iam ſolùm veniam merearis à Domino, ſed coronam. Vale, virilitèr age, & confortetur cor tuum. Romæ die 28. Septembris, 1607.

*Reuerendæ admodum D.V. frater & ſeruus in Chriſto*, Robertus Cardinalis Bellarminus.

M. GEOR-

# M. GEORGII BLACuelli ad Cardinalis literas Responsum.

¶ *Reuerendißime in Christo Pater, & illuſtrißime Cardinalis Bellarmine:*

*DOleo plurimùm, quòd Illuſtrißima Amplitudo veſtra de me propter Catholicam fidem incarcerato, tàm duram conceperit, & mihi terribilem opinionem. Hactenùs per Dei gratiã, ne in minimo quidem articulo fluctuâſſe me memini, qui certò & definitè ad ſublimem Maieſtatem, & ſummam authoritatem Sedis Apoſtolicæ pertineret. Quod ad iuramentum ſpectat, fateor me illud ſuſcepiſſe, ſed in eo ſenſu qui in Catholicorum ſcriptis probatus apparet, & nullâ labe temeritatis aſperſus. Senſus enim meus ter repetitus, & acceptus à Magiſtratu, & iam*

*iam etiam publicè typis propagatus, hic est:* Summum Pontificem non habere imperialem, & ciuilem potestatem ad libitum & ex suo appetitu, deponendi nostrum Regem. *Talem potestatem Catholici Theologi nunquàm tribuerunt Sanctißimo Diui Petri successori, vt Illustrißimus bonæ memoriæ Cardinalis Alanus, & alij non contemnendi scriptores in monumentis suis ad posteritatis memoriam notauerunt. Neq; est, cur quisquam vel minimam suspicionem habeat, illum sensum admissum esse à Magistratu, deformãdæ causâ, aut imminuendæ, aut spoliandæ dignitatis Apostolicæ. Certè tales ex suspicione nati conceptus sunt plerunque fallacißimi magistri, & faciunt timorem, vbi nullus est timor.*

*Card Alanus in Respons. ad Iustitiam Anglicanam.*
*Sixtus Senens. in Bibliothecâ Sanctâ.*
*S.R. cont. Tho. Bell.*
*R.P. contra Morton. pa. 69.*

*Sed vt pergam, quam institui, tenere viam: Illud etiàm ad defensionem meam accedit, quod positum est ab Illustrißimo Cardinale Caietano, in responsione sua ad Parisienses,* quòd vtrumque verè determinari possit de Papa, & quòd habet supremam potestatem in temporalibus, & quòd non habet supremam potestatem in temporalibus: quoniàm vtrumque verum est ad sanum intellectum.

*Caietan. tom. 1 tract. 1. Apologiæ part. 2. cap. 13.*

Affirmatio

Affirmatio namque est vera, in ordine ad spiritualia: negatio verò est vera directè, seu secundùm seipsa temporalia. Vnde nihil ex vtraque decisione erroris accidit. *Hæc ille. Illam etiam sententiam in libros suos præstantissimi Catholici scriptores coniecerunt: videlicet*, ad summum Pontificem, cùm finitæ & limitatæ sit capacitatis, & multotiès ipsum lateat ordo & proportio rerum temporalium in finem spiritualem, ideò ad ipsum nequaquàm spectare, omnibus modis rerum dominari, sed solùm iuxta taxatum, & præfinitum Canonem, quo secundùm humanum intelligentiæ modum ipse Papa dispicere valet, quâ viâ temporalia spiritualibus deseruiant. *Atque eandem sententiam lego ab alio scriptore valdè Catholico hisce verbis expressam:* In temporalibus Pontificis potestatem esse limitatam, & de illis posse disponere vsque ad certam quandam mensuram, videlicet, quatenus finis spiritualis exigat.

*Alphons. Mendoza in relectione de regno & dominio Christi. num. 5.*

*Petrus de Arragon. quæst. 67 art. 1.*

*Ioan. Pedrezanius in resp. ad Venet.*

*Cùm ergo ad hunc modum arcta & astricta sit Pontificis authoritas in temporalibus, cur nos in tam grauem reprehensionem incurremus, qui dicimus*

*dicimus ſummum Pontificem non habere poteſtatem deponendi Regem noſtrum, quia inde perturbatio Eccleſiæ, & euerſio Catholicorum noſtrorum in bonis & poſſeſſionibus, & detrimenta plurimarum animarum prouenirent? Audiat Amplitudo veſtra non me, ſed defenſorem aſſertionis veſtræ contra Venetos, qui ſic ait:* Poteſtas ſummi Pontificis limitata eſt, ne de rebus temporalibus diſponere poſſit vltra exigentiam finis ſupernaturalis. *His adiungi poteſt etiam Excellentiſſimæ Amplitudinis veſtræ ſententia:* Quantum ad perſonas, non poteſt Papa, vt Papa, ordinariè temporales Principes deponere, etiam iuſtâ de causâ, eo modo quo deponit Epiſcopos, id eſt, tanquàm ordinarius Iudex, tamen poteſt mutare regna, & vni auferre, & alteri conferre, tanquam ſummus Princeps ſpiritualis, ſi id neceſſarium ſit ad animarum ſalutem. *Quæ verba planè firmant noſtram admiſſionem Iuramenti. Nam verba iuramenti ſunt:* Papam non habere authoritatem deponendi Regem, aut diſponendi de regnis & dominijs Maieſtatis ſuæ. *Et communis intellectus apud Magi-*

Ioan. Pedrezanus.

*Lib. 5. de Rom. Pont. cap. 6.*

ſtratum ad nullum alium conceptum propendet, quàm ad hunc, videlicet, Papam, vt Papa eſt. Nam non poteſt pertingere ad illum conceptum, videlicet, tanquàm ſummum Principem ſpirituale. Et cùm proponitur iuramentum ſuſcipiendum, illius ſenſus, cognitus à Magiſtratu, reſtringitur ad ordinariam poteſtatem. Nam qui proponunt iuramentum, illi remotiſſimi ſunt à cogitatione extraordinariæ, aut indirectæ poteſtatis in Papâ reſidentis.

Neque etiàm, ſi Amplitudinis veſtræ mitiſſima diſpoſitio vel minimâ ex parte conciperet ruinas familiarum Catholicarum, quas inferret recuſatio iuramenti, certè non diſſentiret à nobis, qui ex luctuoſiſſimis ſpectaculis videmus, inde profecturam eſſe non modò iacturam animarum, ſed etiam totius ſtatus Catholici apud nos lamentabilem extirpationem. Cùm ergo perſentiſcimus authoritatem ſummi Pontificis, quoad depoſitionem noſtri Regis, non eſſe in ordine ad ſpiritualia promouenda, ſed euertenda; cur exagitaremur, tanquam deſertores fidei, & negatores Apoſtolici Primatus, qui nihil aliud tenemus, quàm quod vbiq; Theologi in ſuas concluſiones compegerunt?

Suarez

*Suarez ait*, In vniuersum omnia hæc temporalia cadunt, tantùm indirectè, sub potestatem spiritualem, id est, in ordine ad finem spiritualem. *Salmeron dicit*, Petri potestas est solùm ad ædificationem, quod alijs verbis solet dici: Claue nõ errante. *Et loquens de Papæ potestate, ait:* Si sit in destructionem, non est potestas aut potentia, sed impotentia & defectus. Hoc possumus, quod iure possumus. *Martinus Aspilcueta loquens de Ecclesiasticâ potestate, inquit;* Ergo tantum se ad temporalia extendit, quantum ratio supernaturalium exigit, & non vltrà. *His societur Couarruuias:* Constat huius quæstionis resolutio, vt (saluâ semper Ecclesiæ Catholicæ definitione) constituamus Romanum Pontificem, nec actu, nec habitu vniuersi orbis, nec in ipsos quidem Christianos temporalem Iurisdictionem habere, nisi quatenus ea necessaria sit ad spiritualis iurisdictionis, & potestatis vtiliorem & faciliorem vsum.

*Suarez disput. 16. de Excom. maior. Sect. 1.*

*Salmeron. tom. 4. pag. 416.*

*Idem ibidem. pag. 420.*

*Nauar. relect. cap. Nouit. de iudic. notab. 3. pag. 106.*

*Couarru. tom. 2. pag. 506, num. 7.*

*Possum longiùs innauigare in hôc doctorum torrente, liberrimè profluenti ad defensionem nostram de Iuramento. Qui enim æquo oculo pe-*

*ricula noſtra intueretur, facilè aduerteret, poteſtatem ſummi Pontificis in depoſitione noſtri Regis, iam contineri non poſſe intra fines ordinis ad ſpiritualia ſubleuanda; ſed excurrere ad ſupprimenda omnia, quæ hactenus in ſpiritualibus bene poſita fuerunt. Hinc patet, in quam lamentabilem conditionem detrudunt me illæ paulò grauiores, & acerbiores animaduerſiones:* Quod ex Sathanæ dolis conſentirem, vt fides Catholica de Primatu Sedis Apoſtolicæ vel apertè, vel obſcurè petatur: Quod Iuramentum in Regno iſto eò tendit, vt authoritas capitis Eccleſiæ à ſucceſſore Sancti Petri ad ſucceſſorem Henrici 8. in Angliâ transferatur: Quod hîc periculum fidei ſubeſſe poſſit: Quod videor Sancti Petri & S. Marcellini caſum aliquâ ex parte imitatus: Quod non ſit res parua, quæ ob iuramentum iſtud in diſcrimen adducitur, ſed vnum ex præcipuis fidei noſtræ capitibus, & religionis Catholicæ fundamentis: & quod debeam audire, quid Sanctus Gregorius Magnus affirmat, & quid Sanctus Leo confirmat, & attendere, quid Sanderus pronuntiauit: &

quod

quod pro hoc vno gauiſſimo dogmate Ioan. Roffenſis & Tho. Morus duces ad Martyrium alijs extiterunt: & quod non plus ſapiam, quàm oportet ſapere: & quod fortè lapſus fuerim non ex inconſideratione, ſed ex infirmitate humanâ, &c.

*Hæc legi attentè, & meam vicem dolui, quòd tantus aceruus notationum cenſoriarum apud vos conſtruitur aduerſum me, qui nec capio, nec ſapio, quô modô vel exigua aliqua pars detrimenti poſſit importari Primatui ſummi Pontificis ex ſenſu, quem ego (approbante Magiſtratu) præpoſueram Iuramento. Sed ſi verba exteriùs non tam gratum ſonum fundere videantur; non debet tamen ſenſus vel intellectus verbis ſeruire, ſed verba intellectui; vt patet ex libro 5. Decretalium Gregorij, de verborum ſignificatione.*

*Neque ſuſpicari poſſum, quâ ratione aliquod periculum fidei, ex Iuramenti ſuſceptione, creari poſſit; cùm nihil omninò implicatum habeat, quod aliquam ſpeciem vel formam rei, quæ ſit fidei formaliter, adumbraret. Nam, vt* * *Couarruuias, Martinus ab Aſpilcuetâ, & Binsfeldius affir-*

* Couar. part. 2 pag. 504. Nauar. vt ibidem. notatur à Couar. & vt patet in cap. Nouit. de iud notab. Binsfeld. in tract. de iniuriâ & damno. dato. cap. 7. pag. 353.

*mant,*

*mant, nihil certi, de Pontificis authoritate circa temporalia, hactenùs ab Ecclesiâ definitum est. Et Illustrissimæ memoriæ Cardinalis Alanus, in hâc causâ ait.* Quæstio est planè Theologica, & cum Religione Christianâ arctissimè cohærens, de quâ etsi forsan non definitè pro parte nostrâ pronuntiatum sit, posse tamen & solere Theologicis argumentis in vtramque partem disputari, ipsi quidem aduersarij, si quicquam sciunt, ignorare non possunt. *Sic ille. Cæterùm fortè ad nos premendos Innocentius tertius, & Bonifacius octauus concurrent.* Illi autem (*vt ait Bannes*) loquuntur de potestate & dominio, in ordine ad spiritualia, cùm opus fuerit illam exercere; vt patet manifestè intuenti ipsa Iura. *Atque hæc est indirecta potestas, quæ Regem nostrum non attingit; quia res Anglicanæ iam in eo statu positæ & defixæ sunt, vt omnis ordo ad spiritualia promouenda, per depositionem nostri Regis, interciderit, ac proinde prouidendum, ne duriorem nobis conditionem statuatis. Et sanè, non obstante Bonifacij definitione (vt liquidò constat per consequentem Clementis declarationem) nihil*

*Alan in resp. ad iustit. Ang. fol. 326. b.*

*Bannes in præamb. de dominio Christi. pag. 92. de iure & iustitiâ.*

*hil dignitatis aut antiqui ſui Iuris amiſit Rex Francorum. Quod facere non potuit Clemens, ſi definitio Bonifacij, ex Cathedrâ, tanquàm res fidei formaliter emanâſſet.*

*Clemens de priuileg. cap. Meruit.*

*Atque hâc in rê valdè notatum fuit à me, quod Caietanus contra Pariſienſes depoſuerat, viz.* quia aliud eſt determinare de fide formaliter, & aliud de eo quod eſt fidei materialiter. Nam primum importat determinare, quid credendum eſt; ſecundum autem, determinare de quæſtionibus, quæ in rebus creditis accidunt: & cõſtat cum determinatur quæſtio aliqua ſecundo modo, non determinari dicitur de fide, ſed de tali, vel tali materiâ. Ideò cùm dicitur, quòd Papa non poteſt errare in iudicio fidei, non accipio dictum eſſe, niſi de iudicio fidei formaliter, quando ſcilicet determinatur, quid credendum, vel non credendum. *Hæc ille. Ex quibus ego (ſubijciens me exquiſitiſſimo iudicio veſtro) colligo: Si definiretur, tanquam res fidei formaliter; ſcil. Papa habet poteſtatem deponendi Reges indirectè, hoc eſt, in ordine ad ſpiritualia; quod certè ex eâ definitione in theſi, omnes tenerentur firmitèr illud credere. Sed ſi quæſtio proponere-*

*Caietan tom. 1 tract. 1. Apol. part 2. cap. 13.*

*tur*

*tur in hypotheſi: An Papa habeat poteſtatem deponendi noſtrum Regem, rebus in eô ſtatu, quô nunc ſunt permanentibus apud nos: ſanè videtur mihi (ſaluo acutiore iudicio) quod huius quæſtionis determinatio eſſet de eo, quod eſt fidei materialiter; quia eſſet determinatio de quæſtione, quæ in rebus creditis accidit, & proinde non diceretur determinatio de fidê, ſed de tali materiâ. Determinatio autem de rê fidei formaliter, nos ad credendum obſtrictos tenet. Iam ego proiectus ad ſyncerit atem æquiſſimi iudicij veſtri, peto ſummoperè ab Amplitudine veſtrâ, vt decernat vtrum aliquâ in rê, quæ ſit fidei formaliter, ego vacillauerim, aut à curſu, in quo ſignata ſunt doctiſſimorum Theologorum iudicia, deflexerim.*

*Quô modô ergo pertractus ſum aliquâ ex parte in conſortionem lapsûs D. Petri, ac D. Marcellini? aut quâ de causâ mentio fieret Sanderi, cuius ſententiam ſequutus ſum in libro de* Claue Dauid, *vbi ait:* Gladius Eccleſię in ædificationem datus eſt, non in deſtructionē: ad vitam conferendam, non ad inferendam mortem: ad defenſionem gregis; non ad læſionem pecoris: ad arcendum lupum; non ad deuorandum agnum? *Et ſi liceat mi-*

Sander. de Claue Dauid. cap. 9.

*hi*

*hi progredi, in defensione meâ: ego planè non video, ex quâ ratione illa verba recitata, aut ex Gregorio Nazianzeno, aut ex Basilio Magno, aut ex Leone, & Gregorio Magnis, aut quomodo etiam laudabile factum Eleazari, aut nobilitata multorum scriptis martyria Tho. Mori, & Ioannis Roffensis in me intorqueri possint, cùm in iuramento meo, nullum vel minimum signum extet, quod adiunctam aliquam deformitatem præferat contra fidem, aut quod aliquam syllabam imminuat in aliquâ re fidei: aut quod aliquid detrimenti adferat prohibitioni Diuinæ: vel quod de rebus definitis circa primatum summi Pontificis aliquantulum derogaret. Sanè procul abest à nobis, vt depasci veterem possessionẽ Apostolicæ Sedis ab aliquo acuto homine aliquando sineremus. Peto igitur humillimè ab Amplitudine vestrâ, vt hæc tam grauia contra me, prætexta ex filis parùm æquioris coloris, discindantur, & conuersa in fumum, euanescant. Senex sum, & in carcerem coniectus, propter fidem Catholicam: & non noui me hactenus in vlla alia curricula deuenisse, quàm in illa, in quibus impressa sunt doctissimorum Catholicorum manifestissima vestigia. Conticescant igitur, obsecro,*

*omnes illæ circumſonantes vociferationes aduerſum me innocentem, & Apoſtolicæ Cathedræ ſtudioſiſſimum propugnatorem. Cuius rei iam ſit teſtis incarceratio mea: teſtes ſint creberrimæ conciones meæ: teſtes ſint in antegreſſo decurſu triginta duorum annorum, periclitationes meæ, pro dignitate Sedis Apoſtolicæ: teſtis ſit adminiſtratio Archipresbyteratus, quotidianis ſepta periculis vitæ meæ.*

*Sed quô progredior? Certè paulò effuſior videri poſſim in repetitione harum rerum corã Amplitudine veſtrâ, quæ (vt ſpero) iam rigidiorem veſtram opinionem de me, & de meo facto, ad maiorem æquitatis, & commiſerationis temperationem reuocabit. Sed finem faciam, & extremum habebit illa Sancti Leonis ſententia:* Manet Petri priuilegium, vbicunque ex ipſius fertur æquitate iudicium: nec nimia eſt vel ſeueritas, vel remiſſio, vbi nihil erit ligatum, nihil ſolutum, niſi quod beatus Petrus aut ſoluerit, aut ligauerit.

*S Leo ſerm. 3. in anniuerſario Aſſumptionis ſuæ. Legitur in lect. 9. in feſto Cathedræ S. Petri Antiochiæ.*

Dominus Ieſus Amplitudinem veſtram conſeruet ad maiorem dilatationem Catholicæ fidei, & noſtram conſolationem.

Londini è Carcere 13. Nouemb. 1607.

Veſtræ Amplitudinis

humillimus ſeruus.

*Georgius Blacuellus.*

# IN M. GEORGIVM BLACVELLVM

## *Quæstio Productior*, orta ex Responso præcedente.

PROFITETVR BLACVELLVS, quòd in nuperrimis suis ad C. Bellarminum Literis, multa intelligat minùs satisfacere, æquô se velle animô, de subditorum officijs erga suos cuiusque Principes, sub quorum imperio nati sunt, omniumq; adeò Angliæ Catholicorum, erga Serenissimam Regis IACOBI Maiestatem, quid sentiat, fusiùs & diligentiùs explicare.

2 Præuias ergò quasdam in eam sententiam interrogationes secutus, primò affirmat, quę de obedientiâ erga Imperatores, Reges, & politicos cuiusq; modi Magistratus, Noui Testamenti tabulę præcepta tradunt, ea vim habere perpetuam, neque mutationem aut modificationem, â quauis vel Ecclesiasticâ vel ciuili authoritate pati. Quæ siquis è populo, aut Clero subditorum, quibuscunq; rebus inductus, aliquandò violat, siuè id Bullæ alicuius præsidiô, siuè causæ Catholicæ iuuandæ & religionis

promouendæ consilio fretus, vel cuiuscunque demùm causæ patrocinio fecerit: cum mortalis peccati haud dubiè teneri; cùm rectum non sit malum fieri, vt inde emergat bonum.

3 Sententiam itaque se prorsus detestari eorum, qui ausu nefariô vel Christum affirmant, vel eius Apostolos temporis causâ hæc obedientiæ præcepta instituisse; ac si ciuium fidem & officium erga Principes suos (modò impietatis, Apostasiæ, aut hæresis manifestos) non vltrà iuberent religioni illis esse, quàm dùm ijs per vim opprimendis sufficerent: à cuius quidem opinionis scelere pios existimat illius sæculi Episcopos, Christianosq; omnes penitùs abhorruisse.

4 Apostolorum porrò temporibus, atque adeò perpetuis deinceps trecentis annis, quibus omnes (si vnum exceperis) Imperatores, non ipsi modò pro cultu Ethnico obstinati, Euangelij fide recusabant vti, sed vt eam nascentem opprimerent, haud vllum prætermiserunt sæuitiæ, aut sanguinariæ persecutionis genus: pios tamen eius ætatis Episcopos, Patresq; & Christianos, qui è Christi atque Apostolorum scholâ obedientiæ disciplinam atque instituta hauserant, nullum in eos perfidiæ aut seditionis consilium cepisse, nullum præcepisse, tametsi (si Tertulliano credimus) vires illis & copiæ in eam rem non deessent. Quorum vehementer probari sibi ait tam pium obsequium: ita tamen vt eosdem existimet, si secùs fecissent, mortalis peccati labe non carituros.

*Tertull. Apolog. cap. 37.*

5 Quid? quòd in ipsâ Iuliani causâ (qui Euange-

uangelio, cui nomen dederat, bellum post indixit) ex omni Episcoporum, qui in illa tempora inciderant, Patrumue aut Christianorum numero (singulari virtute & pietate hominum) quanquam essent, qui calamum acerbiùs in eum strinxerint, minimè tamen repertos esse, qui aut illius subditis rebellandi authores essent, aut ipsi in eum arma sumerent. In vtramuis partem si peccâssent, summam promerituros numinis offensionem, & præter Christi ac Apostolorum præcepta facturos. Se denique eâ in re Augustini authoritatem sequi, qui de Christianorum obedientiâ Iuliano præstitâ tametsi Apostatæ, sermonem instituens, hæc habet verba: *Iulianus extitit infidelis Imperator. Nonne extitit Apostata, iniquus, idololatra? Milites Christiani seruiebant Imperatori infideli. Vbi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum, qui in cælo erat. Quando volebat, vt idôla colerent, vt thurificarent: præponebant illi Deum: quando autem dicebat, Producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant. Distinguebant Dominum æternum à Domino temporali, & tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali.* *August. in Psal. 124.*

6 Cognitô in rebus antegressis Blacuelli iudicio, quæsitum est, nùm posterius vidisset Pontificis *Breue*, datum Romæ ad 10. Calendas Septembris, 1607. sic exorsum: *Renuntiatum est nobis, reperiri nonnullos apud vos*, &c: & quam illi opinionē, de Fidelitatis sacramento, quod apud Magistratum dixerat, eius demum interuentus attulisset. Blacuellus factam sibi agnoscit *Breuis* illius copiam, sed transcripti.

ſcripti. Eius ſe oculo, quantum potuit, diligente periodos articuloſq; omnes perluſtrâſſe, cuncta ſigillatim membra perpendiſſe, in vetere tamen ſententiâ, de iuramento Fidelitatis ſuperioribus Comitijs edito, nihilo ſegniùs conſtare, tutò nimirum & licitè ab omnibus huius Regni Catholicis præſtari poſſe. Pro certo enim habere, veras eſſe eius ſacramenti, à ſe adeo ſuſcepti, partes & membra omnia; id ſe denique citra omnem æquiuocationis fucum, vel mente abſconditi ſubterfugij, aut ſenſus reſeruati latebram, ad omnem iuris effectum, tanquam iteratô in eadem verba ipsô iureiurandô, liberè profiteri.

7 Hæc Blacuelliana defenſio (poſt interiectam ſecundi *Breuis* authoritatem) tùm ſacramenti illius, tùm in eo dicendo officij ſui, quòd omnis referatur ad priſtinam ipſius opinionem: quam apud Bellarminum tamen (expectationis publicæ, quæ de eius candore omnia ſibi ſit pollicita, inſigni ludibrio) videatur nouo modo temperare: exiguntur ideò rationes ipſæ, & firmamenta, quibus permotus, rê iam recenti Pontificijs omnibus eius ſubeũdi author & verò interpoſitâ authoritatis ſuæ fide, vt rei licitæ, ſuaſor extitiſſet. Blacuellus rationum illarum (quas in ſuperiore *Quæſtione*, tum factâ iuris publici, docuerat, Romam eſſe iamdiu miſſas) ſummam omnem, ad nonnullos adeò ſanctioris Conſilij proceres à ſe pridem delatam, hiſce potiſſimùm argumentis reſpondet fundatam eſſe.

8 Conſtat (inquit) inter doctos omnes, neque contrà qui dicat facilè reperietur, non aliâ conditione Pontifici authoritatem eſſe, in Reges & Principes

cipes grauiùs statuendi, quàm quâ id possit Ecclesiæ rebus commodum esse & salutare. Quoniam ergò (ex Mendozę sentẽtiâ) *ordo poterit & proportio rerum temporalium (recténe & ipsâ rẽ ad finem spiritualem & Ecclesiæ commodum pertineant) non rarò latere Pontificem*, qui ad particulares rerum circumstantias dispiciendas non alium habeat aditum, quàm *per humanum intelligendi modum*: possitq; proinde (vt author est Couarruuias) *in ijs iudicijs errare, quæ ad facta spectant particularia*: idq; eô queat faciliùs, Blacuelli iudiciô, vsuuenire, quòd *Pontifici licet cuncta posidenti, metuat tamen, ne vnum desit* (quod adeò à venerando quodam Episcopo multis antè sæculis sit animaduersum) *fidelis nempè Consiliarius, qui dicat ei verum*: verendum enim esse, ne similis sit nostri atque illius sæculi conditio, vt *à minimo vsque ad magnum omnes adulationi studeant, & artificiosè ei loquantur vt decipiant*: hisce ergò de causis Blacuellus existimat, posse incidere tempora, cùm Pontificis facta queant improbari, imperia per iustæ exceptionis causam recusari.

*Alphons. Mendoza in relectione de Regno & Dominio Christi. num. 15. pag. 688. Couar. Tom. 1. pag. 184.*

*Rodericus Episcopus Zamorę in speculo humanæ vitæ. lib. 2. cap. 3.*

9 Hanc porrò opinionem adiuuat Syluestri sententia, cui se dicit Blacuellus omninò accedere, vbi summâ vt fide, sic fiduciâ affirmat: *Romano Pontifici siquid imperet, quod peccatum sapiat vel veniale, etiamsi is credat mandatum esse iustum, minimè tamen obediendum esse, si subdito constiterit, id in se peccatum continere. Quòd si ex tali obedientiâ vehementer præsumi posset, statum Ecclesiæ preturbatum iri, vel aliud malum aut scandalum futurum: Pontifici in hâc causâ non esse parendum, tametsi illius mandatum Excommunicatio-*

*Summa Syluestrina in verbo* Obedientiâ. *num. 5.*

*nicationis latæ ſententiæ pœnâ ſanciatur.* Rurſum. *Si Papa ſub pœnâ Excommunicationis quicquã præcipiat, ex cuius executione præſumitur ſcandalum animarum vel corporum futurum in ciuitate, non eſſe ei obediendum.*

10 Ex hiſce rebus iudicio ponderatis Blacuellus hanc ſententiam eruit. Si in iſto rerum Anglicanarum ſtatu, Papa alicunde impulſus, Maieſtati ſuæ ſacris interdicat, Regnum abroget, Eius ſubditis obedientiæ nodum ſoluat, nec id modò, ſed & in Eum arma imperet, iniecto (ni faciant) terrore Anathematis: hôc caſu (inquit) etſi Pontifex animo perſuaſum habeat, hæc eius facta & mandata eſſe iuſtiſſima; quoniàm tamen huius Regni Catholicos (modò qui aliquem habeant rerum vſum) ſuus ipſorum ſenſus facilè admonet, omnem iſtiuſmodi Excommunicationis Sententiam *peccatum ſapere, aut vehementer præſumi poſſe, magnam ex eâ effectûm iri Eccleſiæ perturbationem, aut aliud malum vel ſcandalum deinceps oriturum; atque ex eius executione inſigne conſecuturum in Catholicorum animas, vel corpora detrimentum aut diſpendium*: efficitur, vt ſaluô officiô poſſint illam Anathematis Sententiã, eiuſq; reliqua mandata non recipere, ſaltem non exequi; cùm certa ſit & perpetua regula, *Petri poteſtatem ad ædificationem duntaxat conceſſam, quod alijs verbis dici ſolet, claue non errante,* vt rectè eſt à Salmerone obſeruatum. *Si enim* (vt idem addit) *in deſtructionem adhibeatur, non eſt poteſtas aut potentia, ſed impotentia & defectus. Hoc poſſumus, quod iure poſſumus:* quemadmodum in ſuis ad Cardinalem literis ipſe docuit.

Salmer. Tom. 4 pag. 416. & 420.

11 Huc

11 Huc adeò, ad Pontificis scil. *humanum intelligentiæ modum*, theses Sylueſtrinas, reliquasque (de quibus auditum est) circumstantias & cautiones, referenda esse, quæ ad C. Bellarminum hisce verbis rescripserit: *Papam non habere potestatem deponendi Regem nostrum, quia indè perturbatio Ecclesiæ & euersio Catholicorum nostrorum in bonis & possessionibus, & detrimenta plurimarum animarum prouenirent.* Et rursus: *Si Amplitudinis vestræ mitissima dispositio vel minima ex parte conciperet ruinas familiarum Catholicarum, quas inferret recusatio iuramenti, certè non dissentiret â nobis, qui ex luctuosissimis spectaculis videmus, indè profecturam esse non modò iacturam animarum, sed etiam totius status Catholici apud nos lamentabilem extirpationem.* Et paulo post: *Depositio Regis nostri non esset in ordine ad spiritualia promouenda, sed euertenda.* Præterea: *Qui æquo oculo pericula nostra intueretur, facilè aduerteret, potestatem summi Pontificis in depositione Regis nostri iam contineri non posse intra fines ordinis ad spiritualia subleuanda, sed excurrere ad supprimenda omnia, quæ hactenùs in spiritualibus benè posita fuerunt.*

12 Hisce argumentis persuasum, alijsque nonnullis (quæ nihil tùm attinuerat Romam mittere) Blacuellus se dicit habere procul dubio, Catholicis per Angliam vniuersis, & initio licuisse, nec adhuc minùs licere, prædicto Fidelitatis iuramento vti, in quo nullus omnium reperiatur articulus, cuius è doctrinâ & exceptionibus præmissis peti non possit certa & iusta defensio. Quod autem in hisce potissimùm fundamentis insisteret, hînc factum quòd

eas maximè duceret esse in promptu, & vel in imperitissimi cuiusque Catholici sensus facilè incurrere: sed & Romam viderentur expertura benevolam, quòd doctrinæ in eâ causâ isthîc peruiæ & receptæ per omnia responderent.

13 Hæc responsio quàm non satisfaceret, dictum est mox iri pleniùs declaratûm. Interim rogatus causam, cur Fidelitatis iuramentum ipse adiens, per Maiestatis suæ verba, apud Regni Ordines habita, visus sit sibi cauere; qui tamen cùm cæteros Pontificios priùs doceret, licitè eos posse & saluâ conscientiâ illo sacramento adigi (cui item rei confirmandæ rationes suas Romam miserat) de Regijs interim sermonibus altum egisset silentium: respondit, 1. Se priùs illa Regis dicta pernôsse, quàm suorum cuilibet iuramenti vsum probâsset, tametsi eadem fateatur, ante delatum sibi iuramentum, nusquàm esse à se allegata. 2. Sacramentum verò se iussum dicere, per illa voluisse aliquâ ex parte sibi cautum, idque adeò professum esse, quòd ea vtilis sibi videretur ratio, ad opinionum temeritatem occupandam, & retardandas de illius facti consilio præcipites nonnullorum coniecturas. Neque enim eius fallebat animum, quas sibi æmulationis procellas concitatura esset iuramenti admissio (id quod in prioris *Quæstionis*, quæ publicè nunc est in manibus, sextâ partitione prædixerat:) diuulgatô præsertim primô Pontificis *Breui*, alijsque quibusdam Literis, vti ne cum eo iuramento Catholicis res esset, magnoperè suadentibus. Postremò, in hâc quâ esset, carceris conditione, nihil è rê suâ potiùs visum,

*M ij.19.*
1603.

visum, quàm siquâ posset ratione & delinire Magistratuum animos, nec Catholicorum voluntates alienare: neque ergo consilij eius perficiendi primam quamque occasionem amittendam è manibus censuisse. Quô tamen factô nullum agnoscit læsæ veritatis crimen, etsi sanè non diffiteatur aliquam sibi celatam veri partem, quam adeò impræsentia videt elicitûm iri. Cuius professio, licet multorum animos videatur offensura, cedet tamen (vti confidit) in Dei gloriam, certè ipsius animam liberabit, quin & omnibus Catholicis, quibus sedatius paulò sit ingenium, mens æquior, vtilem sperat fore & salutarem.

14 Hîc cùm in transitu animaduertisset, id sibi vitio verti, quòd præsentis fortunæ oblitus, libero vsus esset, sine permissu, ad Bellarminum, ordinis Cardinalitij hominem, Literarum commercio: vehementer contendit, vt suspenso interim interrogandi cursu, consilij sui ea in re expediendi potestas sibi fieret. Quâ impetratâ, sic agit.

Intentatum sibi à Cardinale crimen, quòd admisso Fidelitatis sacramento, Primatum Pontificis quôdam môdô eiurâsset. In eam sententiam locos aliquot ex Leone, & S. Gregorio in se conquisitos. Hînc cùm Cardinalem intelligeret, inter iuramentum (quod appellant) Regij Primatus, anno Reginæ Elizabethæ primo, & illud Fidelitatis, tertio Regis Iacobi sancitum, minùs distinxisse; (quorum alterum Pontificiam in rebus spiritualibus authoritatem de Regno omnem tolleret: alterum, dispare prorsus argumento, quibusdam consequen-

tijs obuiam cogitaret, in iuramenti formulâ comprehensis, quæ ex Anathematis potestate viderentur erui posse, ad summum autem Regiæ salutis discrimen subditorumq; fraudem & exitium pertinerent:) piaculum sibi visum, ad Cardinalem non rescribere, tùm vt iniusti criminis inuidiam à se submoueret, qui Pontificij Primatus causâ in rebus Ecclesiæ, mortem vel millies non dubitaret oppetere; tùm vt satis tanto viro faceret, cuius aduersam de se opinionem perquàm molesto esset animo laturus. Id si publicè displiceat, supplex facti veniam obtestatur.

15 Iam de superiore responso, quod significatum modò est, non satisfeciſſe: contineret autem rationes pro iuramenti æquitate, â Blacuello Romam missas: quarum summa consisteret partìm in Pontificis intelligentiâ, quæ humani ingenij modo definita, erroris exceptionem admitteret; partim in Syluestri assertionibus, ê quibus eliceretur, non posse contra Maiestatem suam, vt nunc in Angliâ res est, iniri â Pontifice vllas eiusmodi rationes, quales supponit formula iuramenti: quòd in perniciem ea res, non salutem esset exitura. Quæ omnia tàm commodè â Blacuello explicata, multùm tamen dicta sunt abesse, vt iurisiurandi scopum assequerentur. Ambiguæ enim aleæ rem esse, quid facturi sint nostrates Pontificij, si quod in fœliciſſimæ memoriæ Reginã Elizabetham ausus sit Pontificum priorum furor, idem *de facto* statuat in Maiestatem suam Papa hodiernus: quam tàm ancipitem rerum conditionem Regni Statum nequaquam ferre. Tametsi enim Pon-

Pontificiorum vt quisque cautior esset & prudentior, ita cunctari fortasse aliquandiù posset, & lentiùs hôc casu agere: quam tamen in partem se datura esset improuida, & in fraudem impulsa multitudo, si vires ijs suæ succederent, id verò omni diligentiâ præcauendum esse. Sed & obsequij modum qui ê temporum ingenio metiuntur, quid consilij capturi essent, si blanda afflaret rei gerendæ occasio, iustam habere metus causam. Quin huius commenti quanta fuerit authoritas, ad Catisbeium, Garnettum, cæteroſq; illius post homines natos atrociſſimæ proditionis architectos, ab immaniſſimis, in quibus erant, perditiſſimiſque consilijs reuocandos, ipsum rei exitum indicâsse. Solam sine fuco veritatem conscientiæ ducem & magistram esse: secùs *sine temperamento lini* (quod dicitur) quô ex genere non nisi certam perniciem esse expectandam. Sed faueamus sanè huic tam exquisito subterfugio: si tamen nefarij cuiusquam facinoris conatum in Maiestatem suam, Pontifici in assessorum suorum concilio frequente placeret, in ordine esse ad spiritualia: plusquàm verisimile fieri, pleroſque ferè Pontificios Papæ iudicium atque authoritatem potiorem habituros, quàm priuatâ fidê interpositas exceptionum & cautionũ argutias. Quibus malis remedium (inter alios Regię & communis salutis respectus) comparatum esse iusiurandum illud, ê causâ omnium, quas Regum vel Ethnicorum vel Christianorum quilibet post hominum memoriam sit expertus, longè prodigioſiſſimâ.

16 Postulatum ergo â Blacuello est, vt quò & Magi-

Magiſtratuum ſtudijs ſatisfaceret, in quorum poteſtate nunc eſſet, ipſique adeò veritati, quâ Deum intelligeret maximè honorari: candidè & apertè ediſſereret, quid ſibi in mentem veniſſet ad Cardinalem ſcribere, hunc ſibi ſuſcepti iuramenti ſenſum fuiſſe; *Summum Pontificem non habere Imperialem & Ciuilem poteſtatem, ad libitum & ex ſuo appetitu deponendi Regem noſtrum:* neque aliud ſequi ipſius iuramenti ſcopum: eumque ſenſum, cùm iuſiurandum prę manu eſſet, tertiò à ſe repetitum, & à Magiſtratu approbatum eſſe. Diſerta enim eſſe ſacramenti verba, in quæ abſque omni (quantum conſtaret) æquiuocationis ludibrio, aut cæco mentis ſubterfugio iurauerat; *Papam* ſcil: *nec â ſe, nec cuiuſlibet authoritatis vi ab Eccleſia, vel Sede Romanâ acquiſitæ, vllam habere Regis deponendi authoritatem.* Iuramentum itaque omnem Regis deponendi authoritatem ſiue Imperialem & ciuilem, ſeu verò Eccleſiaſticam Põtifici adimere; cùm is tamen apud Cardinalem excuſet, Imperialem duntaxat & ciuilem Maieſtatis ſuæ abdicandæ poteſtatem iureiurando ſuo Pontifici abnegatam.

17 Hiſce exceptionibus anguſtiùs habitum Blacuellum rurſum inceſſit animus orandi, vt intermiſsô pauliſper reſpondendi officiô, pauca liceret in procinctu, de ſe ſuæque conditionis miſeriâ verba facere: quod adeò hiſce dictis eſt executus.

Comprehenſionis, carceriſque ſui grauem ſibi caſum accidiſſe: ſpem tamen hînc factam, moleſtiarum & æmulationum ortam à ſuis tempeſtatem breuî ſedatũ iri: cum nihilo ſeciùs, vt nunc actum eſſet, quâque benignitate exciperentur ipſius facta, iniqua

omnia

omnia tùm hînc tùm isthînc experiatur. At suos saltem debuisse benigniorem in partem iusiurandum suum interpretari, quos præsertim latere non poterat, Regis, Procerumque in se animos esse hoc obsequio nonnihil mitigatos, vt senex & valetudinarius carcere vti possit minùs angusto, & acerbiores porrò siqui restarent, casus auertere. Sed & æquiùs facturum Cardinalem, si suas in ipsum literas, notasque seueriores abstinuisset, ac si in Fidelitatis verba iurando, ad instar Petri Dominum suum eiurantis, aut impiè immolantis Marcellini, declinâsset de statu suo, *vnumq; ex præcipuis fidei capitibus & religionis Catholicæ fundamentis in discrimen adduxisset*. Posse eum facilè præuidisse, longè difficillimam sibi futuram literarum eius (etsi ad se integræ euasissent) in tàm diligente custodiâ, occultationem: quam porrò difficultatem augebant crebri de ijsdem sermones in vulgus sparsi, etiam ab ijs, à quibus minimè conueniebat. Quas easdem si palàm proferri cõtingeret, verisimile esse, nõ modò plus detrimenti, quàm fructus allaturas (nisi fortè æquitatis suæ esse duceret, susceptiin se odij stimulos acuere, quòd communem causam iuuare minimè poterat, mitissimumq; & moderatissimum Regis animum ad asperiora, quàm pro ipsius ingenio, consilia inflammare:) sed & officij sui vicissim futurum, omni ad easdem obseruantiâ respondere, quod in hâc ipsius fortunâ non magis esset probabile (id quod res ipsa indicat) occultè fieri & cum silentio posse, quàm ad se potuisse Cardinalis literas 'clam omni indice peruenire. Quas sanè Bellarmini literas sicut admodum suspicatur,

catur, priusquàm ad se appulissent, vim passas clandestinam: ita suum etiam Responsum timet, antequàm ad Cardinalem peruaserit, pari fortunâ vsurum: eumque adeò timorem crescere, quòd non priùs ferè Romam versus è manibus suis dimiserit, quàm compositâ fraude transcriptum, in medium sentiat euolâsse: quam rem dicit, animum suum non mediocriter perculisse, vt de euentu anxium, sed in aduersa omnia (vt fit) magis propensum. Se tamen, cùm omnes iam sibi spes abierint (quas sanè modicas semper habuit:) cùm amissum sit libertatis & pristinæ solatium, & spes futuræ: cùm mors proximè immineat, quam se ait omnibus votis expetere: cùm denique nulla gaudij, nulla solatij, præterquàm à benignissimo Seruatore, lux vsquam affulgeat; obfirmâsse mentem suam, vt quicunque casus acciderit, eum quietô & æquô animô ferat. Hæc se & alia eius generis permulta, tam iniquè in se statuta, mente & cogitatione subinde versantem, maximo dolore & molestia affici, quòd qui ab animo otiosi libero fruuntur cœlo, non maiore humanitatis sensu in eos ducantur, qui carceris sordes & angustias perferunt, illius etiam causæ studiô, cui ijdem videri volunt vnicè fauere.

Postremò vbi pectoris sui dolorem hisce dictis aliquantum permulsisset, dedissetq; & se & causam suam in diuini numinis tutelam: ad obiectionem proximam se conuertit: ad quam pollicetur ingenuè & ex intimo animi sensu (prout sacerdotem verè Catholicum decet) per omnia se responsurum, nullius sibi conscium æquiuocationis, aut latentis

subter-

ſubterfugij, nullo permotum hominum intuitu, nullo reliqui incommodi, nullo periculi aut calumniarum metu, quarum plauſtra tota facilè cernit in ſe congeſtûm iri, vt authoritas & ſua minuatur & eorum, quæ profiteri habet neceſſe, niſi veritatẽ malit prudens abnegare, & legitimæ authoritatis imperium defugere: quod nec illius fert præſens conditio, nec inſita permittit animi conſcientia.

18 Quod ergo ipſius habent ad C. Bellarminum literæ, hanc ſibi iuramenti ſummam fuiſſe: *Supremum Pontificem non habere Imperialem & ciuilem poteſtatem, ad libitum & ex ſuo appetitu deponendi Regem noſtrum*; id ſe velle ait non ſummatûm, ſed quibuſdam gradibus expedire.

In varijs ergò, quæ Romano Pontifici in temporalibus iura & prærogatiuæ aſſeruntur, hanc dicit eſſe, quam omnium calculis comprobatûm iri exiſtimat: optimo illum iure temporalium ſcribi Dominum eorum, quæ ad Pontificiæ Sedis patrimonium noſcantur pertinere. In his Angliæ & Hiberniæ Regna qui cenſeant, authores non deeſſe, è quibus præter cæteros, vnum (cuius memoriam colit inprimis, quanquam hac in re diligentiam ſanè requirat) non duxit prętereundum. Is ita ſcribit: *Citra Apoſtolicæ Sedis aſſenſum nemo legitimus eſſe poteſt Angliæ Rex aut Regina: idque pacti eius cauſa, quod anno 1171. inter Alexandrum tertium & Hẽricum ſecundum tùm Regem, olim conuenerat, quo tempore de cæde S. Thomæ Cantuarienſis, abſolutionis gratiam exorâſſet: Neminem ſcil. legitimè poſſe in Regni illius faſtigium priùs recipi, vel pro Rege haberi, quàm à ſupremo animarum noſtra-*

*Card. Alani Admonitio ad Nobilitatem Angliæ, edita Anglicè, Anno 1588. pag. 8.*

*rum Paſtore, qui per id tempus eſſet futurus, ius ſuum haberet ratihabitum. Quam eandem poſteà conuentionem renouauit Ioannes Rex anno 1210. eamq; apud Pandulphum, legatum Pontificis, iureiurando ſanciuit, idq; Proceribus & populo magnoperè flagitantibus, tanquam rem apprimè neceſſariam, tùm ad Regnum à tyrannorum iniuſto dominatu conſeruandum, tùm ad alia iſthinc arcenda incommoda, quæ pridem experti, ex Principum malorum improbitate in poſterum metuebant.* Hanc (inquit) traditionem, & ſiqua ſunt huius generis ſomnia, videtur Polonus quidam, edito nuper libello, ſecutus, vbi argumenti illius de Henrico ſecundo & Ioanne, illatâ mentione, hæc habet verba (loquitur autem de publicis Regni Comitijs, & de Fidelitatis iuramento:) *Illud impiè Legiſlatores per iuſiurandum extorquent à Catholicis, vt negent poſſe à Pontifice Regem deponi, & de ipſius Regnis & ditionibus diſponi. Si enim honorariè & piè tributarium Regnum Pontifici: quare diſponere, quare refractarium & inobedientem Principem deponere nequit?*

*Stani. Iı. Criſtanoicus Exam. Cathol. fol. 34.*

19 Ad traditos verò quod attinet de Regis vtriuſque facto ſermones, eos affirmat Blacuellus planè eſſe commentitios. Neque enim ex fide-dignis vſpiam conſtare Annalium monumentis, Henricum ſecundum cum Alexandro tertio ita ſtipulatum, niſi id fortaſſe intelligant, quod Alexandro Papæ iuratus promitteret, *ſe pro parte ſua ab eo aut ſucceſſoribus eius non receſſurum, quamdiu ipſum ſicut Regem Catholicum haberent.* Sed nec Ioannis factum verius, licet veriſimilius, exiſtere. Quæ tamen de vtroque Rege in hunc modum prodita, cùm Criſta-

*Roger. Houeden Annal. fol. 303.*

nouico

nouico illi argumenti loco sint, iure posse Pontificem Romanum Maiestatem suam, Regem quippe fiduciarium, Regno suo exuere; Blacuellus se dicit, dũ iureiurando Pontifici negaret *Imperialem vllam aut ciuilem Maiestatis suæ deponendæ potestatem*, conscientiam eâ in re suam liberâsse, vt veritatem à fabulosis hisce rumoribus vindicaret: cùm pari fide æstimandam duceret, de Ioanne Rege, ac de Henrico secundo vulgò celebratam historiam. Quô maior eum subit huius assertionis fiducia, quòd (vt alia taceat Sceptri iura) quidam præcipui nominis huic sententiæ astipuletur, eo grauior author, quòd Pontificij primatus ergò, ceruices securi subiecerit. Exierat in hominum manus, Henrico octauo Rege, libellus quidam inscriptus, *Supplicatio Mendicorum*: Eum dùm refellit Thomas Morus, inter cætera hæc habet. *Is* (authorem dicit eius libelli) *si affirmat* (*quod sanè nonnulli produnt scriptores*) *Angliam & Hiberniam â Ioanne Rege Pontifici Romano & Sedi Apostolicæ, pacto mille Marcarum stipendio, factas esse vectigales: nos certè contrà audemus dicere, id omninò esse falsum: neque enim Romam aut iam posse, aut aliquando potuisse talis cuiusquam concessionis tabulas proferre. Quin si demus posse, omnis tamen eiusmodi stipulatio, planè esset inutilis. Neque enim penes quemlibet Angliæ Regem vnquam fuit, aut Regnum sunm* (*tametsi maximè vellet*) *Romano Pontifici donare, aut terram vectigalem reddere.* Quam Th. Mori sententiam iudicio suo planè conuenire lubens fatetur Blacuellus: neque eo tamen vel tantillum sperat aut labefactatũm iri opinionis suę firmam de Pontificis Primatu

*Thomæ Mori supplicatio Amarum: scripta Anglicè. pag. 296.*

constantiam, aut cuiusuis animum offensum, qui in Coronam, & statum Anglicanum rectè sit animatus.

20 Cardinali autem quod innuisset, se Fidelitatis sacramento rogatum, Sereniſſimi Regis sermones, in sensu à Magistratu approbato, sibi prætulisse, sed & eisdem congruentem iuramenti ipsius hanc esse sententiam: *Summum Pontificem non habere Imperialem & ciuilem potestatem, ad libitum & ex suo appetitu deponendi Regem nostrum*: nec huius facti rationem diffidit se aliquo modo probaturum. In quam sententiam sic agit. Intelligendum (inquit) est exijsse antiquitùs ex Canonistarum officinâ, de ciuili Pontificis dominio, opinionem quandam, quæ per hosce annos impensiùs cœpta est, & ardentiore, quàm olim, impetu promoueri. Cuius (inquit) patroni fidentissimè affirmant, Papam non minùs directè in temporalibus terræ vniuersæ Dominum, quàm Catholicę Ecclesiæ caput in spiritualibus esse constitutum: cuius quidem sæcularis dominij iure tàm habeat in Imperatores, Reges, & Principes supremam directo ordine iurisdictionem, ac de ijs (vbi res inciderit) eorumq; imperijs statuendi potestatem, quàm in Episcopos obtineat, & cæteram Cleri plebem, quos arbitratu suo possit vel nouis ornare honoribus, vel pristino gradu pro meritis exutos dimittere.

Eius sententiæ principes à C. Bellarmino notantur, Augustinus Triumphus, Aluarus Pelagius, Hostiensis, Panormitanus, & Syluester; quibus porrò annumerat Henricum Gandauensem, Rodericum Sancium,

*Bell. de Rom. Pontif. lib. 5. cap. 1.*

Sancium, Alexandrum Alensem, Celsum Mancinum, Thomam Bozium, Franciscum Bozium, Isidorum Mosconium, C. Baronium, Lælium Zecchum, & Alexandrum Carerium. Qui idem Carerius alios plures hisce partibus accensèt, vt opinionis illius præcipuos assertores: cuius studiô ipsum videre licet adeò præcipitem ferri ardore & vehementiâ, vt qui contrà nitantur omnes (nec Bellarmino quidem excepto) rê ipsâ damnet Anathematis. Quô magis notat Blacuellus hominis impotentiam, quòd cùm omni illo tractatu Cardinalem Bellarminum præcipuo conatu petat, eundem se tamen in *impios politicos, & nostri temporis hæreticos* scripsisse, ipsô libri frontispicio profiteatur. Carerio per omnia non dubitantèr accedunt, qui sunt ab hâc sententiâ, adeò vt reuocare in medium non dubitent, explosa iam olim, & in scholis vexata veterum Canonistarum placita, eademq; nostrô, quàm superiore æuo, acriùs & vehementiùs, pro Orthodoxis Catholicæ disciplinæ capitibus, populo venditare. Cuius generis sunt, quæ sequuntur.

*Carer de potest Romani. Pont. lib. 2. cap 9. edit. Colon. Anno 1601.*

21 *Dauidem præcinuisse, Christi Sacerdotium fore secundùm ordinem Melchisedech: Christum cùm Rex, & Sacerdos omne iudicium â patre acceperit, plenissimam nimirùm iudiciariam potestatem, eandem simul cum sacerdotio iungentem, instituisse Regale in Ecclesia sacerdotium, quippe qui in suos* (id est Diuum Petrum, & successores eius) *omnem, quam a Patre accepit potestatem transfuderit: Nisi foret vnus in Ecclesia supremus Monarcha in omnibus, non posse seruari Ecclesiæ vnitatem. Secus enim, cum illa ex diuina institu-*

*Baronij Annal. tom. 1. Anno 57. pag. 432. Romæ Anno 1588. Baron. ibidem, pag. 433. Franc. Bozius de temporali Ecclesiæ Monarchia, in præfat. ad Clemen. 8. Impres. Colon. anno. 1602.*

tione constet Regno,& sacerdotio,iam in illa absolutè vnus esset Monarcha Regni, alter sacerdotij: Quòd si,ad euitandas dissensiones circa res sacras, vnum supremũ caput constituitur: cur non eodem modo Regni, vt vnum,& idem caput sit Regni,et sacerdotij,ne pari modo inter hæc sit dissensio? Quare potiùs dicendum, Petrũ vices Christi susceptisse,non solùm in sacerdotio,sed etiam in Regno,vt esset ille Rex,& simul sacerdos iuxta ordinem Melchisedech, qui Rex fuit simul & Sacerdos.

Tho. Borius de iure status, præfat. ad Aldobrand.

22 Si Christus Rex sit Regum & Dominus Dominantium,simili modo Reginam,ac Dominam esse Ecclesiam;ac si ille sit Dominus Temporalium, hanc similiter esse Dominam: Temporalem omnem Regiamque potestatem primùm in anima Christi residere: deinde verò in Ecclesia,ipsius sponsâ,mundi Reginâ: atque ab hac denique in alios siue fideles siue infideles, tanquam à fonte deriuari: Ecclesiam Christi sponsam, ac mundi Reginam, cuius potestas,vt in fonte, est in Pontifice summo; posse,quoties ordo vniuersi exigit, propria iura alterius in alterum trãsferre,sicut Princeps sæcularis priuatorum domos potest deijcere,ad vrbis ornatum, vel ob causam publicam tributa imponere: iustè hoc Pontifici licere,licet nihil errârit is, à quo iura in alium transferuntur: eôque iure Pontificem Hispanis Indias assignâsse: Pontificalem,& Regiam cæteraque omnes potestates cumulatissimè esse in Papa,& in Pontificia dignitate residère: Dominia quæcunque ab Ecclesia,& à Pontifice tanquã ab ipsius Ecclesiæ capite pendere: In Papa considerari authoritatem,in Imperatore autem,& in Rege potestatem: atque hinc esse, quòd potestas ab authoritate pendeat.

Idem lib. 1. cap. 9. fol. 36.

Isidor. Moscon. de Maiestate milit. Ecclesiæ. pag. 91.

Idem pag. 636.

Idam pag. 670.

23 Verum

23 *Verum, iustum, à Deo ordinatum, nec non merum dominium, tum in spiritualibus, tum in temporalibus per Christum introductum esse, & Petro suisque successoribus commissum fuisse. Christum dici omnium inferiorum Dominum, non solùm in quantum Deum, sed etiam in quantum hominem, habentem Dominium etiam pro tunc in terris, non solùm diuinum sed etiam humanum: & propterea sicut dominium mundi fuit in Christo diuinum, & humanum, ita & in Papa eius vicario idem existere fatendum esse. Sicut Deus secundariò dici potest temporalis rector, & Monarcha mundi, licet in se non sit principaliter mundanus, & temporalis: ita & Papam posse dici temporalem Dominum & Monarcham, licet ipsius potestas quiddam sit spirituale. Completô redemptionis mysteriô, Christum sui Regni administrationem Petro contulisse, & hanc potestatem in Ananiam, & Saphiram Petrũ exercuisse. Christum etiam quatenùs hominem, esse directè Dominũ totius orbis etiam in temporalibus: ergo & Papam cùm sit eius vicarius: supremam omnes iudicandi potestatem & vtriusque dignitatis fastigium, & vtriusque potestatis culmen in Christi vicario reperiri.*

*Carer. de potest. Rom. Pont. in proœmio lib. 1. pag. 9.*

*Idem pag. 111.*

*Idem ibidem.*

*Idem pag. 112.*

*Idem pag. 120.*

*Idem. pag. 124.*

*Idem pag. 126.*

24 *Vnum esse principatum, & vnum Principem supremum totius orbis, qui est Christi vicarius, iuxta illud Danielis cap.* 8. Dedit ei potestatem, & honorem & Regnum, & omnes populi, & linguæ seruient ei: *& in illo esse fontem & originem omnis principatus, & ab eo cæteras potestates defluere: Romanum Pontificem vice Christi principari in vniuerso orbe in spiritualibus & temporalibus: & naturaliter, moraliter, & diuino iure cum rectâ fide tenendum esse. Principatum Romani Pon-*

*Rodericus Sancius apud Carer. pag. 132.*

*Idem ibidem. pag. 131. 132.*

Pontificis esse verum, & vnicum immediatum principatum totius orbis, nedum quoad spiritualia, sed quoad temporalia; & principatum Imperialem esse ab ipso dependentem, & mediatum, ministerialem, & instrumentalem, eidem subministrantem, & deseruientem, forèque ab eo ordinatum, & institutum, & ad iussum Principatus Papalis mobilem, reuocabilem, corrigibilem, & punibilem.

Caretius de potest. Rom. Pont. pag. 150.

25 Sicut in Christo fuit Dominium mundi diuinum, & humanum: ita in Papa mundi dominium loco Christi spirituale esse, & temporale, diuinum, & humanum: Veritatem manere inconcussam, quòd solus Petrus supra mare ad Christum venit, designans, totum dominium, quod per mare significatur, eidem Petro, suisque successoribus committendum: Sicut Papa non potest dicere, se non tenere vicem Christi in terris, ita non posse negare se rerum dominium habere: quia sicut Domini est terra, & plenitudo eius: ita Christo Domino omnia subijci cœlestia, terrestria, & infernalia: vnde & Papæ, qui eius vicem gerit in terris, cœlestis, & terreni Imperij iura commisisse. Papam iure diuino habere potestatem & dominium temporale in toto orbe: idque probari ex Lucæ 22. Ecce duo gladij hîc: quæ verba intelliguntur de potestate temporali & spirituali: Christumque, cuius Papa est vicarius, vtramque potestatem habuisse, iuxta illud Mat. vlt. Data est mihi omnis potestas in cœlo & terra. Ex prædictis deduci, quòd Papa absolutè est Dominus totius orbis Christiani, & Reges ac Principes Christianos ab illo Imperia, & Regna recognoscere debere, & ei omnes fideles subesse; Quotiesq; ijdem Principes graue detrimentum Ecclesiæ afferunt, posse illos

Idem pag. 151.

Idem pag. 155.

Lel. Zecch in tract. Theolog. pag. 81.

Idem pag. 83.

Papam

*Papam Regnis priuare, & eorum iura ad alios transferre.*

26 Hîc prætermittendum non erat, quàm magno Romæ numero, & in Italiæ partibus habeantur authores, eorumque scripta, quorum sententias Blacuello videmus improbari. Nam de nuper defuncto vt taceamus Cardinale *Baronio*; *Francisci Bozij* libro suffragata est ad prælum publica Romæ authoritas, vt qui *nihil in se contineret, quod Catholicæ fidei esset aduersum.* Eôdem in locô, simili ornata elogiô, *Thomæ Bozij* & *Celsi Mancini* opera in typos exierunt. *Mosconij* tractatum Venetiæ dederunt in publicum, nondum ortis scilicet inter Venetum & Pontificem proximis hisce discordiarum flammis. *Lælius Zecchus* Brixiæ est excusus. *Carerij* opus, Doctoris Patauini, Academiæ illius suffragio commendatum est in vulgus, impressum pòst Coloniæ. Quamobrem qui huic Quæstioni præfuit, pari æquitate licere sibi ratus, obijcere quæ visa sunt, ac Blacuello licuit in responsis comminiscendis suo modo atq; arbitrio vti, alios porrò locos, non minùs, quàm proximos hosce, ad hanc sententiam accommodatos, ex ijsdem, alijsq; haud inferioris notæ authoribus, proponendos censuit. Erant autem huiusmodi.

27 *Supremam iurisdictionem temporalem penes esse Petri successores in toto orbe, ita vt idem sit Hierarcha, & Monarcha in omnibus. Christũ optimo regimine Ecclesiam gubernandam reliquisse: sed optimum regimen esse absolutam in omnibus etiam temporalibus Monarchiam; ergo tali modo gubernandam reliquisse.* *Franc. Bozius, de temporali Ecclesiæ Monarchia lib. 1. cap. 3. pag. 52. Idem. lib. 1. cap. 7. pag. 99.*

Idem lib 2.cap 14 351. Petro datas esse claues Regni Cœlorum: ergo & terrarum. Iustè per sententiam & ordinationem Ecclesiæ ius dominij, vel prælationis posse infidelibus tolli, quia infideles, meritô suæ infidelitatis, merentur potestatem amittere super fideles. Ecclesiam eam accepisse potestatem super gentes, quam Christus secundùm humanam naturam accepit à Patre: Christum autem accepisse absolutè à Patre omnem potestatem in rebus temporalibus: ergo & Ecclesiam per plenitudinis participationem.

Id: lib.3.cap.1 pag.394. ex Aquinate. Vim supremam coactiuam in omnibus rebus temporalibus diuino iure reuelato, & expresso in diuinis literis, esse penes Ecclesiasticos.

Idem ibidem. cap.16 pag. 537. Ob supremam Monarchiam in rebus omnibus posse ab Ecclesiâ leges temporales condi, & iustis de causis auferri regna.

Idem lib.3. cap.14.pag. 530.

Idem lib.5. pag.823.

28 Reges, & Principes sæculares non esse immediatè â Deo, sed interuentu Ecclesiæ sanctæ, & supremorum eius Pontificum. Potestatem bellicam, & militarem compulsiuam in Reges, & Principes Ecclesiæ datam esse.

Tho. Bozius, de iure status. lib.1. cap.9. fol.37. Impress Romæ. An. 1600. Quod si inueniatur quandoque aliquos Imperatores dedisse aliqua tẽporalia summis Pontificibus, sicut Constantinus dedit Syluestro, hoc non esse intelligẽdum eos dare, quod suum est, sed restituere, quod iniustè, & tyrannicè ablatum est.

Idem ibidem. cap.11.fol.52. Christum Beato Petro æternæ vitæ clauigero, terreni simul, & cælestis Imperij iura commisisse: vt inquit Nicolaus Papa secundus; â quô habemus: esse sine dubio hæreticum, qui iura terreni simul, & cælestis imperij Ecclesiæ Romanæ à Christo commissa aufert, atque asserit id licere, atque ob hoc esse hæreticum in huiusmodi assertione.

Idem lib.3. cap.5.fol.277. ex Augustino Triumpho.

Idem lib.4.cap 1.fol.319.

29 Papam dici Iudicem vniuersalem, Regem Regum, & Dominum Dominantium. Papam consecrari,

Isidor. Mosc. de maiest. militant. Ecclesiæ. Impress. Venetijs, Anno 1602. pag. 26.

vt

vt Sacerdotem magnum, coronari, vt Regem, quia vtramque habet potestatem. Papam vti potestate suâ duplici modo, absolutè aut ordinariè: absolutè, dùm derogat legibus, tollendo eas; ordinariè, quando vtitur legibus: vnde datur regula, Papam vti consilio Cardinalium, quando suis vult viuere legibus, quia suæ leges hoc ordinant: at si plenitudine suæ potestatis vti voluerit, tunc absque vllo Cardinalium consilio disponere: cùm eius potestas sit â Deo, non â Cardinalium Collegio. Idem pag. 77. Idem pag. 98.

Non solùm omnem fidelem populum, verumetiam infidelem, ac omnem rationalem creaturam Papæ imperio subiacere, & ab omnibus esse verendum: itaque hac de causa ab omnibus fidelibus recipere adorationes, prostrationes, & oscula pedum. Papæ tanquam Ecclesiæ pastori, & illius sanctæ sedis Præsuli, & ratione Dominij, & excellentiæ, Duliæ tribui adorationem. Papam in signum Imperij & Regni vti in capite regali diademate, in signum Sacerdotij, & Pontificalis Maiestatis, vti mitrâ. Reges sancto oleo inungi, & quasi vassallos Ecclesiæ dici. Imperatores, & Reges à Papa cogi posse ad obseruandum iuramentum præstitum in eorum coronatione, & confirmatione, ex quô, virtute talis iuramenti, sunt effecti subditi Papæ. Idem pag. 96. Idem pag. 97. Idem pag. 99. Idem pag. 676. Idem pag. 677.

30 De iure diuino, & naturali, sacerdotium supereminere Imperio: & penes ipsum residere, de iure diuino, & naturali, vtramque iurisdictionem & super spiritualia, & super temporalia, & similiter eius immediatam executionem: Qui dicunt Papam in orbe terrarum totum dominium habere super spiritualia, non autem super temporalia, similes esse consiliarijs Regis Syriæ, qui dixerunt: Dij montium sunt Dij eorum, & ideò Henric. Gandauen. apud Carer pag. 128. Antoninus apud Carer. pag. 130.

ſuperauerunt nos, ſed pugnemus contra eos in campeſtribus,& conuallibus,in quibus Dij eorum nullũ dominiũ habent,& obtinebimus contra eos.3. Reg. 20.

Aug.Triumph. apud Carer. pag.130. *Dei filium declarâſſe Eccleſiæ poteſtatis altitudinem, tanquam ſuper petram fundatam, ſupra omnem eſſe principatum, & poteſtatem, vt ei genua cuncta curuentur Cœleſtium, Terreſtriũ, & Infernorum.*

Idem ibid. pag.132. *Sæculares poteſtates neceſſarias non eſſe, niſi, vt quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ poteſtatem, Princeps hoc impetret per diſciplinæ terrorem. Si ergo Eccleſia poſſet malos coercere, non eſſet neceſſarius Principatus Imperialis, & ſæcularis, cùm includatur virtualiter in Principatu Apoſtolico.*

Carer.de pot. Rom.Pont. pag.142. 31 *Varias eſſe hominum poteſtates â Deo datas, diuerſaſq; authoritates, quæ omnes â ſumma poteſtate* (Pontificis nimirùm) *pendent, ab illâq; lumen recipiunt, vt ſydera à ſole. Imperialem poteſtatem à Pontificali poteſtate, ſicut lumen lunæ â lumine ſolis, quo ad*

Idem pag. 145. *Temporalium adminiſtrationem proficiſci. Sicut Deus*

Idem pag.150. *dicitur ſupremus Monarcha mundi, ac Temporalium gubernator productiuè, & gubernatiuè, licet per ſe non ſit temporalis, & mundanus: ita eius vicarium Papam, licet primò & per ſe dominium habeat ſuper omnia temporalia, non tamen per immediatam executionem, ſed per vniuerſalem iuriſdictionem (cùm Imperatori committat immediatam executionem) eam habere,*

Idem pag.152 *fatendum eſſe. Pontificem in orbe eſſe ſummum patrem, & orbis virum, & vniuerſalem orbis vicarium, atque dominum, & cæteros ab ipſo vt ab Architecto pendere: aliâs ſi poneres ſeparatim Cæſarem ratione Temporaliũ,*

Idem pag.161. *poneres inferiùs duo principia, quod eſſet hæreticum. Romanum*

manum Imperium ante conuersionem suam, fuisse vsurpatum, & tyrãnicum, propterà quòd in linea duntaxat Christi verum dominium fuit. Imperatorem esse Papæ ministrum: Deum enim tanquam summi Sacerdotis ministrum illum deputâsse. Potestatem Imperialem pendêre â Deo, mediante eius vicario, quo-ad esse completum, & formatum, Imperatoremq; non aliâ conditione eam debere recipere. Nullum Regem, vel Imperatorem iurisdictionem, nisi à Christo, & per consequens à Papâ eius vicario habere posse. Idem ibidem. Idem pag. 162. & 163. Idem pag. 172

32. In summo Pontifice esse vtramuis potestatem, seu iurisdictionem spiritualem, atque temporalem, & vti omnium est eminentissimus in potestate spirituali, ita etiam in temporali: adeò vt liceat de Christi vicario illud similitudine quâdam asserere, quod Plato in Timæo dixit de Deo, quatenus in Timæo interrogans, quidnam esset Deus, respondit: Non est homo, non cælum, non bonum, sed quid præstantius: Roget quis, an Summus Pontifex sit Dux, Rex, Imperator, anve Princeps, cautè respondebit, si negando assereret, esse quid præstantius, quidue eminentius. Pontificem Romanum dici Papam, â Papè admirantis particulâ: quòd illius dignitas, & potestas omnibus sit admirabilis, veluti stupor mundi, secundùm glossam in proœmio Clementin: vbi legitur his verbis: Papa stupor mundi, non Deus non homo, sed vtrumque. Sanctum historicum in lege veteri fecisse Sacerdotium Regno adiectiuum, Diuum verò Petrum Regnum fecisse sacerdotio adiectiuum: Quòd si phrasin scripturarum sequamur, & Gracum coditem attendamus, necesse esse fateri, dum Iesus Saluator noster verbis illis, Pasce, pasce, oues meas, vicariũ instituit, huic spiritualem Celsi. Mancinus lib. 3. cap. 1. & Carer. pag. 133. Idem Mascon. pag. 22. Celsi. Mancinus de iuribus principatuum Impress. Romæ, Anno. 1596. pag. 63. Idem pag. 66.

Idem pag.80. *ritualem & temporalem potestatem commisisse. Temporalem omnem potestatem ad Papæ non Imperium, sed nutum esse exercendam. Principes iubere, mandare: Deum, qui omnium est Dominus, nutu imperare; secundùm illud Virgilianum:*

Dixerat, & nutu totum tremefecit Olympum.

*Denique Christum plenam habuisse totius Orbis, omnisque creaturæ iurisdictionem: igitur & vicarium illius Pontificem.*

33 Hisce rebus ita propositis, Blacuellus offensior expostulare cœpit; planè iam sibi perspectum esse, non tàm Fidelitatis suæ specimen, quàm suam inuidiam quæri. Neque enim hæc loca aliorsùm interpretari, quàm in Sanctitatis suæ ludibrium esse conquisita, pro cuius Primatu in causis Ecclesiæ vel emori non recusaret. Actum ergò secum iniquiùs querebatur. Responsum est, miram eius videri hâc in re offensionem, quòd quæ à tàm multis, tàm publicè fauente Româ, data in vulgus essent, idque eô tantùm consilio, ne quam orbis partem latere possent, ea vel commemorari, adeò grauiter & indignè ferret.

34 Blacuellus non tàm sibi ait, quòd proponantur, quàm quorsum id fiat, molestum esse. Etenim si de proximis hisce locis ipsius iudicium tantoperè expetatur, cùm à superioribus eorundē authorū placitis nullo discrimine differant: satis esse (siquis satisfaciendi modus) quòd ea dudùm notârit esse *explosa iamdiu, & in scholis vexata Canonistarum dogmata:* neque esse, quod rectè possit eorum recitatione amplius à se requiri, cuius non magis sit, de

Pon-

Pontificum iudicare, quàm de Regum assentatoribus, qui vt dominorum suorum auribus seruiant, sæpiùs haud dubiè solent extra veri modum adulatione prodire. Quin se addit perinuitum hoc vlcus tetigisse, neque tam locupletem in eo argumento futurum, nisi Maiestatem suam sensisset ad hanc opinionem, de directâ Pontificis in temporalibus authoritate, quæ supra Regum & Imperatorum diademata adeò caput sustulerit, potissimùm respexisse, cùm pro Ordinum conuentu iampridem hæc verba faceret: *Papam scil. ex Primatus sui doctrinâ non modò spirituale Christiani nominis caput se venditare, sed & in Regum ac Cæsarum solia & diademata Imperialem & ciuilem sibi arrogare principatum, vt ea pede deijcere, eadem dispensare & disponere ad libitum & appetitum possit. Alterum verò esse, quod in eorum* (Catholicos dicit) *praxi & moribus sit assiduum, Regum videlicet percussiones, & parricidia, vt quibus meriti res sit, tantùm absunt, vt in factis numerent impijs, si in Principem suum, cui naturæ conditione omnia debeant pietatis officia, nullas perduellium, nullas hostium partes omiserint, postquàm deuotus Anathemate, subditos habeat Fidelitatis voto solutos, Regnumq; à triuertice eorum Monarcha publicatum.* Quæ Sereniſſimi Regis dicta Fidelitatis iuramento causam non minimam publicè arbitratur dedisse, vt ijs contrauenire malis posset, quæ prædicti dogmatis fructus esse nimiùm periculosos, Regni Ordines, Maiestatis suę verba sequuti, decreuerant. Id se demùm & sacramento illo rogatum insinuâsse, Literisque suis deinceps apud Cardinalem esse professum. Cui tamen facto quid offen-

offensionis meritò possit subesse, non videt, qui Bellarmino diceret, se iureiurando affirmâsse, *Papam non habere Imperialem aut ciuilem potestatem Regis nostri ex appetitu suo deponendi.* Quod enim tùm iurauit, id constantèr pergit asseuerare, falsam sibi videri, de directo Pontificis in temporalibus dominio & Primatu, opinionem suprà commemoratam, quâcunque tandem fiduciâ, quôcunque ardore animi eius assertores prædicent (sed per errorem) *magis receptam esse Theologorum sententiam, & ex lege diuinâ cum recta fide tenendam.*

35 Cæterùm obiectum hîc est, tametsi rectè statuat, Sacramenti huius formulam, vt opinioni prædictæ obuiam iret, maximè esse institutam: dùm tamen vniuersam eius vim ad hanc vnam directæ potestatis opinionem conatur restringere, minùs eum cõsequi, quod ex iuramento quæri satis intelligeret. Ipsius enim ad Bellarminum literas aliud quoddam loqui authoritatis genus, quod varij isthîc citati authores Pontifici Romano tribuerent, cuius summa, sub exquisitæ cuiusdã distinctionis artificio, hûc rediret: in ordine nimirùm ad spiritualia & *indirectè*, Reges ac Principes omnes, cum suis regnis & dominijs, Pontifici subordinatos, eiusque potestati vsque adeò esse obnoxios, vt ritè eos possit, siquos forsan in rebus Ecclesiæ ad ipsorum salutem spectantibus, dicto minùs audientes comperrerit, non modò Anathematis pœnâ vlcisci, sed & deinceps progressus, Regnis suis submouere, subditis fidẽ soluere, & verò si causa postulat, vt arma in eos sumant, iure optimo imperare. Quæ quidem opinio non minùs dicta est,

quàm

quàm illa altera, capitalis ac funesta Principibus esse, & in eundem, si verum quærimus, licèt diuerso itinere exitum pertinere. Quòd si ad priorem dũtaxat opinionem respiciens (rẽ integrâ quoad hanc alteram) Fidelitatis sacramentum admiserit, perindè esse, ac si iuramentum omninò nullus adijsset. Hunc ergo nodum Blacuellos seriò iussus expedire, ita respondit.

36 Primò diffiteri non posse, obiectionem istam huius loci propriam, aptéque ex suis literis esse collectam. Dein fatendum esse, secundam hanc opinionem priori minimè cedere, siue authorum spectes studium & vehementiam, siue etiam eruditionem, omniq; in genere præstantiam, quorum tanta sit nominis celebritas, vt contrariarum partium existimationi longè præponderet. Multum in hac causâ esse Cardinalem ipsum Bellarminum, & habere qui astipulentur, Henricum, Ioannem Driedo, Ioannem de Turre Cremata, Albertum Pighium, Thomam Waldensem, Petrum de Palude, Cardinalem Caietanum, Franciscum de Victoria, Dominicum Soto, Nicolaum Sanderum: quibus, ait, Martinum Aspilcuetam, Couarruuiam, & alios posse ascribi. Et verò, quod Carerius & Sancius superiori, id C. Bellarminus huic opinioni tribuit, vt sit *communis Catholicorum Theologorum sententia.* In his non dissimulat Blacuellus, ad Bellarminum scribentem, se potissimùm censeri voluisse, vt qui in Cardinalis, quàm in cæterorum sententiam esset inclinatior, ad neutram tamen eâ se sentiat religione adstrictum, vt periculum alioqui sit à fide Catholica de-

flectendi. Quin istâ iudicij sui libertate, quoad Regem nostrum, si vti velit, vel ipsum videtur authorem habere C.Bellarminum.

37 Cùm enim Fidelitatis iuramentum hanc inter cæteras formulam contineat: *Prætereà iuro me penitùs & ex animo detestari, ac vt impiam & hæreticam abiurare hanc execrabilem doctrinam & assertionem: Principes à Papa excommunicatos, vel iure Regali exutos, licitè posse à subditis suis, vel quocunque alio, Regno, vel etiam vitâ priuari*: Bellarminus contrà disputat, *inauditum esse ab initio nascentis Ecclesiæ vsque ad hæc nostra tempora, quòd vllus Pontifex Maximus Principẽ vllum, quamuis hæreticum, quamuis Ethnicum, quamuis persecutorem cædi mandauerit*; & proinde metum illum, qui de Regis vitâ prætenditur (siquidem in Anglia atque in alijs Christianorum Regnis parẽ locum obtineat potestas Põtificia) *inanem prorsus esse, omnesq; prætextus eò spectantes nihil aliud habendos, quàm Satanæ decipulas & stratagemata*. Quod si verè asseritur, præfatum iuramenti à se suscepti articulum, ipsius iudicio, disertè astruit, illum adeò, qui prę reliquis molestissimè habeat permultos huius Regni Catholicos. Etenim omninò concedendum est, nullo posse respectu (si absit Regum ac Principum à Pontifice edicta excommunicatio, & proscriptio, ciuiumq; ab obsequij nexu exauthoratio) fas videri subditis, in Reges, dominosq; suos legitimos, è quorum ditione sint natiui, manum attollere. Quid autem interest, iubeat ne Papa Regẽ occidi, an illud vel faciat vel iubeat, quòd alios ad eorum cædem, etiam impositâ religione, impel-

lat?

lat? Quod si ita est, è Bellarmini verbis efficitur, nunquam posse, ex Pontificis authoritate, directâ vel indirectâ, licere subditis ( quôquô demum prætextu vtentibus, cuiuscunque potestatis, Regum à sacris, sceptrisq; suis amouendorum, populiq; ab eorum obedientiâ eximendi præsidio confisis ) Principis sui sanguine manus cruentare. Quod Blacuellus redire ait in eam sacramenti partem, in quam ipse iureiurando sit adactus.

38 Verùm, quandò hoc vltimum Blacuelli responsum (cùm ad vnam iuramenti partem nec vltrà pertingeret, constaretque ê Bellarmini sententiâ, ex eius verbis per consequentiã erutâ ) multùm diceretur abesse, vt obiectioni proximæ satisfaceret : is ad pristinam petitionem recurrit, vt testandi officij sui causâ, erga Deum Opt. Max; Regemque Sereniſſimum, liceret sibi, quibus maximè visum esset, gradibus & vestigijs in eius loci explicatione progredi. Id præfatus, sic ait : Primò intimè habere persuasum, Pontificem Romanum S. Petri successorem esse, caputque Ecclesiæ vniuersæ. Claues verò etsi terrenæ & materiales ad aperiendum & claudendum gratiâ fortasse & obsequio flecti possint ; cœlestes tamen nullum personarum discrimen, nullum locupletis & egeni, nobilis & plebeij, obscuri & illustris, Regis denique & subditi delectum habere : adeò vt extra ictum Anathematis Pontificij, vbi (rebus omnibus ritè circumspectis) grauis & iusta erit eius inferendi causa, neminem esse censeat. Quinetiam Christiani cuiusque Principis officium putat, in causis ad religionem spectantibus, Romano Pontifici, vt supre-

mo Episcopo, & animarum suarum pastori, tasces submittere. Ista demùm professus: locum quendam ê superiore *Quæstione* (quæ tunc extabat publicè) in partem responsi sui ad obiectam* interrogationem petijt hùc transcribi.

* Sect. 19.

Blacuelli Quæstio prior, suprà. Pag. 12.

39 Quo loco, cùm mentem suam iuberetur dilucidiùs explicare, *quẽ se sensum, in admittendo Fidelitatis iuramento, ex Maiestatis suæ verbis, sequi diceret: eum enim illis posse sensum comminisci, vt frustrà esset pridiana sacramenti dictio, nec quod polliceretur officium vlla ex parte præstaret: cùm Maiestatis suæ manifesta esset sententia, eum ab appetitu & temeritate profectum interpretari, siquis Pontificum Romanorum id sibi fastus sumat, vt edicto in Reges Anathemate, subditis eâdem operâ obedientiæ legem soluat, classicum ad arma canat, in Principum suorum capita, in omnia seditionum & tumultuum consilia eosdem instruat authoritate sua, deniq; in salutem, siue eorum, siue publicã, ista molientibus auxilio esse iubeat*: is ad illustriorẽ sententiæ suæ explicationẽ, hoc tum vtebatur responso (id quod in præsentia iteratum vult) *sic se nimirum statuere, legitimæ Excommunicationis (sit ea Maior quam dicunt, siue Ecclesiastici Anathematis censura) vim & potestatem nullos edere istiusmodi effectus, nullos inferre.* Quam porò sententiam ait cum multis sibi communem esse, è Catholicorum gente authoribus, ijsque (quantum intelligit) Orthodoxis, in quibus præcipuè sint, qui sequuntur: simul autem commentariolos quosdam suos (quod pro re natâ subinde factitârat) de sinu proferens, eorum dicta, in specimen officij sui, scripto fecit excipi, in

hunc

hunc modum. *Excommunicatio non nisi excommunicatum facere potest, eáque fulminatur in Principes, non vt tyranni fiant, neque vt suis ditionibus remoueantur, neque vt subiectis laxentur habenæ, vel iuratâ fide liberentur.* In eandem sententiam Soto, vt citatur â Medina: *Excommunicatio non est priuatio alicuius boni proprij, quod transgressor legis priùs possederat: sed est priuatio bonorum communium, quæ ab Ecclesia erat percepturus, vt communionis spiritualis, & receptionis Sacramentorum.* Et D. Thomas: *Aliud est Excommunicatio, aliud eradicatio.* Quod etiam in iure Canonico ijsdem ferè verbis, in quadam Vrbani Papę Epistolâ traditur: *Liquidò apparet, aliud esse Excommunicationem, aliud eradicationem. Qui enim excommunicatur (vt Apostolus ait) ad hoc excommunicatur, vt spiritus eius saluus fiat in die Domini. Disciplina enim est Excommunicatio, & non eradicatio.* In summâ Blacuellus, postquàm Regnum Angliæ fassus sit nec in Pontificis Romani feudis, nec magis peculiari iure, quàm cætera Christianorum Regna, ditionis esse Pontificiæ: postquàm Pontifici abnegârit Imperialem omnem & ciuilem Regis nostri abdicandi potestatem; postquàm denique ex Anathemate Pontificio (vltimâ gladij spiritualis vindictâ) docuerit nihil illorum posse fructuum emergere, quibus cauet Fidelitatis sacramentum (Regum scil. abdicationem, subditorum immunitatem à fide & obsequio, iustam denique bellum Regibus suis, aut vim inferendi potestatem:) quid ampliùs responsi desyderet * primaria illa obiectio, de sensu ex Maiestatis suæ verbis elicito, quem se iurantem

*Ludouic. Richeome in Apolog. pag. 175*

*Medina in primam secundæ pag. 513. q. 96. art. 4.*

*Tho. Aquin. secunda secundæ. q. 11. art. 3.*

*Decret. 2. part. cauſ. 24. q. 3. cap. 37.*

*Sect. 13.*

maximè ſecutum eſſe Cardinali ſignificârat, negat ſe intelligere.

*Sect.35.* 40 Hæc omnia hactenùs dicta, quàm non ſufficerent obiectioni antegreſſæ, priuſquàm diligentiùs ſumeretur excutiendum: viſum eſt à Blacuello quæri, qui effectus ſuprà recitatos proximè negârat in Anathematis poteſtatem cadere, quô pactô hanc aſſertionem poſſet cum diſciplinæ Pontificiæ placitis ſequentibus, à Claſſico quodam ſectæ Romano-catholicæ authore traditis, inuicèm conciliare. Is plurimo argumentorum apparatu id agit, vt Henricum tertium Gallorum Regem doceat, ante eius parricidium annis aliquot, ſub Excommunicationis cenſurâ fuiſſe, vt qui compluribus per anteactam vitam delictis in varias Anathematis ſanctiones, nominatìm verò in Bullam Cœnæ Dominicę incidiſſet. Id genus crimina in reliquis hæc percenſet, quæ ſingula in totidem Anathematis ſententias Regem ipſo facto præcipitarent. Primò, *quòd hæreticis faueret. 2. quòd eſſet Simoniacus. 3. quòd cum hæreticis (Reginâ Angliæ & Nauarræo) fœdus inÿſſet. 4. quòd bona Eccleſiæ (Pontifice inconſulto) occupâſſet.* Quo in genere cùm multa diſputâſſet, conquiſitis vndique Scripturarum, Patrum, Hiſtoriarum, nulliſque non teſtimonijs, in ſummâ huc redijt: Regem illum, etiam nondum in eum renuntiatâ Anathematis ſententiâ, iure eſſe interfectũ; *neque enim formulam percipere dolorem publicum.* Nam etſi in occulto crimine nefas eſſet, indictâ causâ hominem cõdemnari: in publicis tamen & notorijs, quæ nulla poſſint tergiuerſatione occultari, *euidentem facti notitiam*

*De iuſta abdicatione Henrici 3. lib. 2. cap. 35.*

*Idem lib. 4. cap. 2.*

*Idem Ibidem.*

*tiam sententiæ locum tenere.* Hæc omnia dicta sunt superiorem Blacuelli sententiam destruere, quæ in Anathematis potestate abnuerat esse, Regibus sceptra abrogare, nedùm eos è medio tollendi iustam populo authoritatem permittere.

41 Ad hæc Blacuellus: quæ singulari impulsi spiritu, homines priuati fuderint, iniquè ea vel in doctrinæ Catholicæ, vel in aliorum, qui secùs sentiunt, fraudem & præiudicium verti. Obiecta verò illius authoris placita diffiteri nequit, adeò esse absona, adeò modum & modestiam omnem egressa, vt nihil existimet aut vanius & dementius, aut Regum, nec Protestantium modò sed & Catholicorũ, saluti pernicioſius excogitari posse. Id enim si fas erit, vt quotquot non sub vnam modò, sed sanè sub multas iuris Excommunicationes, præcipuè verò Bullam Cœnæ Dominicæ venerint, ijdem subditis suis continuò proijciantur ad cædem: quotusquisque Regum (inquit) hodiè inuenietur, qui vel de imperio vel de vitâ securus esse queat?

42 Cæterùm hîc denuò interpellatum est, vt cùm palàm sit Reges, ac Principes omnes, siqui Pontificij Primatus iugum excusserint, etsi Euangelij fidem cætera amplectantur, vulgò tamen Pontificijs hæreticorum numero esse: Blacuellus, pro suâ in Regem obseruantiâ, apertè significet (id enim officij rationem exigere) quô locô istas reputet assertiones, Anathematum Pontificiorum, vel ante latam sententiam, propagines & effectus, quæ superiùs traditæ ipsius opinioni itidem repugnarent.

43 *Iura Canonica* (inquit quidam notæ non vulgaris)

Card. Alanus contra Iustitiã Britannicam Anglicè, pag. 87. Versionis autem latinæ, pag 336. edit. Augustæ, 1588. Philopater, pag. 194.

vulgaris) *quorum per legitima quaq; orbis Christiani tribunalia viget authoritas, hæreticos omnes, nec eos modò nominatim & disertè denuntiatos, sed ex vi iuris, & eo ipso, quò sunt hæretici, aut eius nomine iuris excõmunicationem merentur, suis principatibus ipso facto exuunt.* Nec dissimile est quod ab alio haud ferè minoris notę scribitur, hisce verbis: *Hinc infert vniuersa Theologorum ac Iurisconsultorũ Ecclesiasticorũ schola, & est certum & de fide, quemcunq; Principem Christianum, si à religione Catholicâ manifestè deflexerit, & alios auocare voluerit, excidere statim omni potestate, ac dignitate ex ipsa vi iuris tùm humani tùm diuini, hocq; ante omnem sententiam supremi Pastoris ac Iudicis contra ipsos prolatam: & subditos quoscunque liberos esse ab omni iuramenti obligatione, quod ei de obedientiâ, tanquam Principi legitimo, præstitissent: posseq; & debere (si vires habeant) istiusmodi hominem, tanquam Apostatam, hæreticum, ac Christi Domini desertorem, & reipub. inimicum, hostemq; ex hominum Christianorum dominatu eijcere, ne alios inficiat, vel suo exemplo aut imperio à fide auertat. Atque hæc certa, definita, & indubitata virorum doctissimorum sententia, doctrinæ Apostolicæ conformis planè, ac consona est.* Huius porrò fermenti & alij complures possint adduci.

44 Ad hæc Blacuellus, tametsi lentior, hominum causâ, quorum sanctam haberet in primis authoritatem, responsum tandem dedit superiori haud absimile: peculiares & suas cuique illis authoribus vt & sibi opiniones esse: quamquam hæc fateatur proxima eorum dogmata à iudicio suo longè dissidere; eademque planè perneget vel *vniuersæ Theologorum*

*logorum & Canonistarum scholæ conclusiones, aut certas esse & de fide, definitasque & indubitatas hominum doctissimorum sententias, ac Apostolicæ doctrinæ consentaneas.* Accedit eò, quòd quæ hactenùs ab ipso dicta sunt, siue eius rationes Romam transmissas, siue Syluestri loca, aut de præsenti rerum Anglicanarum statu, exceptiones illas, siue priorem spectemus ipsius sententiam; non posse scil: subditorum in Principes suos istiusmodi facta (sint licèt hæretici, sint Apostatæ, sint quoquô modo affecti) Anathematis potestate præstari, omnia hisce assertionibus ex diametro opponantur. Has itaque se dicit, vt insignia Excommunicationis dedecora & opprobria, siquidem eius effectus numerentur, prorsùs detestari.

45 Hic locus cùm interrogationis præteritæ (quæ totius causæ caput esset) arctiùs premendæ opportunè facultatem aperiret, visum est eâdem vti. Etenim superior Blacuelli sermo disertè fatebatur, in Pontificiorum schola agitari, non Principum modò Excommunicationem, sed (quod ex authenticis ipsorum authoribus is pridem docuerit) eorundem extirpationem. Hæc adeò (vt colligere est) ipsius Excommunicationis viribus non perficitur, sed authoritatis Pontificiæ, quâ supremus est, secundùm Christum, terrarum orbis dominus in rebus temporalibus, vel ordine directô, vel indirectè in ordine ad spiritualia. Quę vtraq; ratio cùm eôdem spectet, & æquali pernicie Regum Maiestati & saluti immineat, Blacuello dictum est parui referre, quòd interdicto Pontificio potestatem ademerit, Regum

abdicandorum, populiqúe à fidelitate eximendi; si tamen aliam Papæ authoritatem relinquat, vt postquàm Principes Anathematis sui fulmine ad inferos (vt sibi ineptè fingit) præcipites egerit, eosdem porrò habeat radicitùs extirpare, Regnis suis exigere, ad clandestina omnia in Principes suos coniurationum & proditionum genera, ad nullum non perduellionis & perfidiæ consilium ciere subditos, suaque authoritate animis confirmare. Cuius rei causâ acriùs est & vehementiùs iterum à Blacuello postulatum, vt per eam, quâ Regiam Maiestatem pietate & officio coleret, si quid vnquam à se synceri imposterum cuperet expectari, iudicium suum vellet, vt dudum de directo (quod fingeretur) Pontificis in rebus temporalibus dominio, ita nunc de indirecto, quod esset in ordine ad spiritualia, apertè tandem pronuntiare.

46 Conturbari Blacuellus, & rem queri, nimis ad viuum premi. Orare, vt satis huic causæ sit, quòd Pontifici agnouisset ius esse, vel potentissimum Christiani orbis Principem, vbi causa inciderit, sacrorum aditu prohibendi. De reliquâ verò illius potestate, quam habeat in ordine ad spiritualia, Maiestatis suæ nihil esse vllam in partem quod interfit.

47 Hîc. quòd Blacuellus subindè efflagitârat, vt sensim liceret & certis vestigijs progredi, neque necesse sibi esset summatim respondere, placuit, eam maximè viam insistere. Principio itaque reuocata illi in mentem est iudicij sui in *Quæstionis* huius primo limine solenniter facta professio: quam scil. Principibus obedientiam Christi & Apostolorum præcepta

*Sect. 2.*

præcepta sanxerint: quàm illa præcepta sensum haberent perpetuum: quàm eorum sententiam auersaretur, qui Christum & Apostolos somniarent pro temporum conditione hæc præcepta tradidisse: acsi Christianis edictum vellent, qui Imperatorum ditioni subessent, hostium Euangelij, ne diutiùs quàm dùm copijs superiores essent, in eorũ obediẽtia permanerent: & deinceps reliqua, quæ suis locis visuntur exposita copiosiùs. Quo facto interrogatus, nùm in eâdem sententiâ, omni remotâ æquiuocationis, aut subterfugij fraude, adhuc perseueraret: cùm is vehementer annuisset, adderetque, se animi sui conscientiam diligentèr, tanquam Deo teste, eâ in re secutum: requisita est, in firmiorem rei fidem, de locis insequentibus simplex & syncera illius opinio, quippe quæ præfato eius iudicio, de trecentis Christo proximis annis, disertè contraeuenirent. Sect. 3

48 *Nos illa non mouent, quòd Martyres dicuntur mortem tolerâsse, & vt tyrannos Ecclesiæ infestos deponerent, minimè sategisse, Quia vt laudabile est, cùm resistere nequeas, ita vbi possis resistere, religionis ac patriæ hosti, nolle, nefarium & pernicioſum est.* De abdicatione Henr. 3. li. 1. cap. 3.

*Optimo quidem iure poterant sancti olim Episcopi Imperatores Arrianos excommunicâsse; & Catholicis eorum subditis authores fuisse, vt ab illorum tyrannide armis se vindicarent: quod adeò, propter maiores persecutorum copias non fecerunt.* Card. Alanus cont. Iustitiam Britan. cam. edit. Anglic. pag. 107. Versionis autem Latinæ, fol. 343.

Prætereà: *Extra controuersiam est, rectè potuisse Constantium, Valentem, Iulianum, alioſque huiusmodi Imperatores Episcopis excommunicari, & deponi; populúmque omnem eorum obedientiâ eximi, siquidem* Idem Ibidem.

*Ecclesiæ aut Catholicis congruæ ad resistendum vires suppetijssent.*

Bellar de Rom Pont. lib. 5. cap. 7.

In quam eandem sententiam Bellarminus. *Quòd si Christiani olim non deposuerunt Neronem & Diocletianum, & Iulianum Apostatam, atque Valentem Arrianum & similes; id fuit, quia deerant vires temporales Christianis; nam alioqui iure poterant id facere.*

49 De hisce assertionibus tàm vehementer interrogatus, postquàm aliquandiu Blacuellus detrectâsset, (reueritus scilicet & scriptorum authoritatem, & verò infamiam, ac discrimen suum, si eorum placita auderet ad censuram suam sistere,) victus tamen repetitâ officij sui mentione, tùm in Deum, regemq; sereniſſimũ, tùm in ipsum adeò VERITATIS numen (quoad eam animo consequeretur) sic tandem censuit: assertiones illas, vtcunque laudem possint habere Politicam, parùm tamen videri Theologicas. Itaque mirari se, quô pactô acciderit, vt recentioribus sæculis tàm sint istiusmodi dogmatum fœcunda authorum scripta, de quibus sanctorum Martyrum volumina, qui trecentis à Christo primis annis, veterumq; principis notæ Patrum, qui aliquot deinceps sæculis floruerunt, monumenta omnia nullam (quam meminit) vocem, nullam syllabam omninò fuderint.

50 Cui generi (inquit) si fides aliquando accedat, Apostolorum imminui authoritatem, necesse est: vt qui egregij extitisse temporibus obsequendi artifices arguerentur. Quod *Blacuodæus* bonus in primis Catholicus, ex Buchanani loco quodam, similis ferè argumenti, concludit. Qui dùm Fideles osten-

ostendit Tertulliani sæculo, tametsi viribus pares, religioni tamen habuisse in Imperatores suos arma capere, hæc habet: *Paulus vtendum foro præcepit? Larvatam hypocrisin sub personâ religionis latere voluit? Potestatibus obedientiam edixit, quia resisti non posset? Christianos viribus auctos ad arma cessantes, ad arma concitat, Imperiumq; frangit?* Idem paulò pòst ex Clemente docet Petri discipulo, vbi de tumultu loquitur, per Caipham Hierosolymæ conflato, *Christianos etsi numero plures, virtute potiores, propter Numinis obedientiam, occidi maluisse, quàm occidere*: pergitque deinceps subditorum officia, & arma Christianorum *(preces ac lachrymas)* describere. *Blacuodei Apolog. pro Regibus. pag. 259*

51 Quid quòd Ecclesiæ Romanæ Præsules, qui Tertulliani æuo, & citeriùs vixerint, pietatis & zeli laude posteris suis minimè putet cessisse: sed nec ditionis suæ fines, quàm latè patere̅t, ignorâsse? Quorum ætas si pro orthodoxis hæc dogmata habuisset, ij proculdubio, Fidelium numero & viribus cognitis, aliquod saltèm monumentum posteris prodidissent, & animi, zelique sui, in hâc potestate contra Imperatores exerendâ, promptiq; ac alacris ad resistendum, in tantis præsertìm copijs, Christianorum studij: cùm nullum tamen eius facti vestigium vsquam reperiatur. Has similesque ob causas, quæ in hunc sensum plurimæ afferri possint, Blacuellus se dicit assertiones istas (quas explorandi tantùm causâ sibi iam propositas interpretatur) penitùs repudiantem, in eâ hęrere, quam proximè exposuetat, sententiâ. Quod se confirmat sine subterfugij, sine ambiguitatis dolo, ingenuè facere, nec quidquam

priùs facturum, quàm vt animum hac in re suum, si quâ posset, apertiùs & significantiùs explicaret.

52 Hic denuò à Blacuello postulari, vt quoniam perplexis quibusdam suis, ambiguisq; responsis, in multas angustias, non sine summâ Regis, & Procerum offensione, se induisset; animus aliquando esset, pro doctrinæ & authoritatis suæ fide, huic, quæ præ manibus esset, quæstioni directô tandem responso satisfacere. Itaque Blacuellus Gregorium septimum agnoscit, Pontificum Romanorum primum (quem meminerit) ad Anathematis sententiam corollarium vllum adiecisse authoritatis suæ, ad Imperatores, Regesque dominatu suo amouendos, subditos Fidelitatis nexu eripiendos, eosque vt armis hostilibus in Principes suos grassarẽtur (etiam propositâ, ni facerent, Anathematis mulctâ) cogẽdos. Diuumq; Thomam ait hanc causam disputantem, ad facti Gregoriani angustias esse redactum. In quo tamen Gregorij aduersus Cæsarem ausu diffiteri non potest, magnum recente facto extitisse animorum motum; idquod Frisingensis & Sigebertus produnt. Quanquam hos authores minimè adhibuisset, quippe Schismatis labe notatos à Baronio, vt in Pontificum & Imperatorum dissidijs, Cæsarianis partibus æquiores: nisi huic rei ampliùs confirmandæ Vincentius succedat testis, cuius *Historiale*, dum Clauium alicubi abusum perstringit, hæc habet verba: (designat autem Gregorium & ab eo secundum Vrbanum Papam.) *Vt pace omnium bonorum dixerim, hæc sola nouitas (ne dicam hæresis) nec dùm è mundo emersérat, vt sacerdotes eius, qui dicit Regi,*

*Tho. Aquin. 2. 2. quæst. 12. art. 2.*

*Otho Frising. lib. 6. cap 35. Idem de gestis Frederic. lib. 1. cap. 1. Sigebert. in Anno, 1088.*

*Vincent. in speculo Historiali lib. 15. cap. 84.*

*Regi, Apostata, & qui regnare facit hypocritam, propter peccata populi, doceant populum, quòd malis Regibus nullam debeant subiectionem: & licèt ei sacramentum fidelitatis fecerant, nullam tamen debeant fidelitatem, nec periuri dicantur, qui contra Regem senserint, imò qui Regi paruerit, pro Excommunicato habeatur, qui contra Regem fecerit, â noxâ iniustitiæ periurij absoluatur.* Cuius testimonij fidem, tàm venerandi Præsulis authoritate ante annos 350 confirmatam (vtcunque verum sit, à Sigeberto sumi) Blacuellus nefas habet vel impugnare, vel præiudicio suo lædere. Periculoso enim exemplo vetustis rerum Catholicarum scriptoribus eo nomine pondus derogari, quòd sint amici Cæsarum, cùm ea ratio & alios cõplures, historicos alioqui illustres, simili exceptioni subijciat, vt qui pariter insimulari possint, in Pontificum gratiam plus æquo propendisse. Imò (inquit) per id tempus qui & optimè & intimè colebant religionem Catholicam, alij in hoc Gregorij facto hæsitabant, alij planè pugnabant, carere Apostolicam sedem hac potestate, vt Imperatori (quod tùm factum est) fasces adimere, & subditorum posset rescindere sancitam iureiurando fidem. Quin Episcopum Metensem ait vsque eò processisse, vt â Gregorio Pontifice (apud quem gratiâ & authoritate valeret) pet literas non dubitaret contendere, vti se consilij eius contra Cæsarem iniri rationibus suis *iuuare, ac munire* dignaretur, quas eiusdem vituperatoribus haberet opponere.

*Gregori. 7. Epist. 21. lib. 8. apud Seuerinum Binium de Concilijs.*

53 Porrò autem, quòd occasione facti præcedentis, Blacuelli ad locum illum responsio, quo rem

*Sect. 43*

rem dixerat ad viuum resecari, vehementiùs (in plenam synceritatis suæ fidem) iterum expeteretur: quid de hâc nimirum sentiret tam prolixâ Pontificis in temporalibus authoritate, vt de Imperatorum Regumq; fortunis, cuiuscunq; tandem distinctionis præsidio, licitè possit, exemplo prædicto statuere: orabat, vt libri eius, qui est *De Romano Pontifice* â Bellarmino scriptus, potestas sibi fieret. Factâ potestate, iudicium suum ipsis *Bellarmini* verbis repræsentatum voluit: seriò professus in hâc se esse sententiâ.

Bellar. de Rom Pont. lib. 5. cap. 2

*Papam non esse dominum earum Prouinciarum, quas obtinent Infideles. Infideles Principes veros esse supremos Principes suorum regnorum. Dominium non fundari in gratiâ aut fide. D. Paulum iubere, vt Principibus Ethnicis, etiam propter conscientiam, obediamus. Non autem tenemur* (inquit) *in conscientiâ obedire illi, qui non est verus Princeps. Principes non esse Papæ vicarios. Papam libenter daturum, si posset, regna Infidelium principibus fidelibus. Ridiculum esse, dedisse Deum Papæ ius in Regna totius mundi, & non dedisse illi facultatem vtendi eodem. Alexandrum sextum non diuisisse orbem nuper inuentum Regibus Hispaniæ, & Lusitaniæ ad eum finem, vt Reges illi proficiscerentur ad debellandos Reges infideles noui orbis, & eorum Regna occupanda; sed solùm, vt eò adducerent fidei Christianæ prædicatores, & protegerent ac defenderent tùm ipsos prædicatores, tùm Christianos ab eis conuersos: & simul, vt impedirent contentiones, & bella Principum Christianorum, qui in illis nouis regionibus negotiari volebant.*

54 Papam non esse dominum totius orbis Christiani: Quòd si ita esset iure diuino, debere id constare ex scripturis, aut certè ex Apostolorum traditione: ex scripturis nihil haberi, nisi datas Pontifici claues Regni cœlorum; de clauibus verò regni terrarum nullam mentionem fieri: Traditionem Apostolicam, quâ nitatur, nullam vtiq; proferri. Christum neque abstulisse, neque auferre regna eius, quorum erant. Christum non venisse destruere ea, quæ benè se habebant, sed perficere. Quando Rex fit Christianus, non perdere eum Regnum terrenum quod iure obtinebat, sed acquirere nouum ius ad regnum æternum: alioqui obesset Regibus Christi beneficium, & gratia naturam destrueret. Falsam esse assertionem eorum, qui dicunt, Papam habere vtramq; potestatem, sed alterius executionem alijs demandare. Quicquid authoritatis Imperatores habent, à Christo habere. Si Papa, tanquam summus ipse Rex & Imperator, Regiæ authoritatis executionem Regibus posset eripere; maiorem vtique esse Christo. Licet Innocentius Papam Soli comparet, Imperatorem verò Lunæ; obseruandum tamen esse, non idem sydus solem esse, & lunam: & sicut lunam non instituit sol, sed Deus: ita Pontificatum, & Imperium non esse idem, nec vnum ab alio absolutè pendere. Licet Pontifex solus in patrimonio Ecclesiæ plenam habeat in Temporalibus potestatem, in alijs tamen regionibus non item.

Bellar. ibidem, cap. 3.

Innocent. 3. cap. Solitæ extrauag. de Maioritate, & obedientiâ.

55 Papam iure diuino nullius loci directè dominũ esse temporalem: Christum, vt hominem, dùm in terris vixit, non accepisse, nec voluisse vllum temporale dominium: summum Pontificem Christi vicarium esse, & Christum nobis repræsentare, qualis erat dum hic inter

Idem ibidem. cap. 4.

homines viueret. Papam, vt Christi vicarius est, & summus Pontifex, nullum habere temporale dominium. E falso principio deduci, Papam, qui est Christi vicarius esse simul Regem, & Pontificem. Christum, vt Dei filium, fuisse semper Regem, & Dominum omnium creaturarum, eo modo, quo est Pater eius: sed hoc Regnum aeternum esse, & diuinum, & nec tollere dominia hominum, nec posse Pontifici conuenire. Christum, vt hominem, fuisse Regem omnium hominum spiritualem, & habuisse potestatem amplissimã spiritualem in omnes tàm fideles, quàm infideles. Futurum esse post diem iudicij hoc spirituale Christi regnum etiam sensibile, & manifestum: & ita inchoatam esse gloriam huius Regni in ipso capite nostro Christo, quando à mortuis resurrexit. Regnum hoc non esse temporale, qualia sunt nostrorum Regum, nec posse Pontifici communicari, quia praesupponit resurrectionem. Potuisse Christum, vt hominem, si voluisset, & si ei visum fuisset expedire, accipere Regiam authoritatem, sed noluisse: & proinde nec accepisse, nec habuisse non solùm executionem dominij, & Regni, sed nec authoritatem, vel potestatem vllius Regni temporalis. Regna omnia acquiri, vel ex hæreditaria successione, vel ex electione, vel iure belli, vel donô; Christum verò istorum modorum nullô temporale regnum habuisse. Christum nunquàm exercuisse in hôc mundo Regiam potestatem; venisse enim ministrare, non ministrari, & iudicari, non iudicare. Frustrâ accepturum Christum Regiam authoritatem, quam nunquàm exercuit; cùm inanis sit potentia, quæ nunquam redigitur in actum. Christum ementes oues & boues de templo non eiecisse, quasi Pontificiâ vel Regiâ potestate, sed more Prophetarum

rum, zelo quodam diuino. Authoritatem Regiam non fuisse Christo necessariam, neque vtilem, sed planè superuacaneam, & inutilem. Nam finis aduentus eius in mundum erat redemptio humani generis: ad quem finem non erat necessaria temporalis potestas, sed solùm spiritualis. Inutilem Christo fuisse talem potestatem merè temporalem, ex eo intelligi posse, quòd Christus debuit hominibus persuadere contemptum gloriæ, deliciarum, opum, & omnium rerum terrenarum, quibus tamen maximè affluunt Reges huius mundi. Omnia ferè loca Scripturæ, vbi de Regno Christi agitur, necessariò intelligi debere, de Regno eius spirituali, & æterno: at Regna temporalia non sunt æterna. Christum non fuisse temporalem Regem Iudææ, sed spiritualem Ecclesiæ. Licèt Papa dicatur habere illud officium, quod habuit Christus, cùm in terris inter homines humano more viueret: illa tamen Papæ officia tribui non posse, quæ habuit Christus vt Deus, vel vt homo immortalis & glorioſus, sed solùm ea, quæ habuit, vt homo mortalis. Christum, quia Deus, & homo erat, habuisse quandam potestatem, quam dicunt excellentiæ, per quam præerat tàm fidelibus, quàm infidelibus: Papæ autem solùm oues suas, id esse, fideles commisisse. Christum, vt hominem potuisse Sacramenta instituere, & miracula facere propriâ authoritate, quæ non potest Pontifex. Christum potuisse absoluere à peccatis sine sacramentis, quod Papa nõ potest. Christum Pontifici illam solùm potestatem communicauisse, quæ puro homini communicari poterat, quæ necessaria erat ad gubernandos ita fideles, vt sine impedimento vitam æternam consequi possent.

56 Illa loca, atque authoritates (Data est mihi omnis *Idem ibidem. cap. 5.*

Math.28. omnis potestas in cœlô & in terrâ. Christus Beato Petro vitæ æternæ clauigero, terreni simul & cœlestis Imperij iura commisit. * Ecce duo gladij hîc) *doctrinæ præfatæ minimè repugnare: Papæ potestatem*

Nicol. Papa. Epistola ad Michaelem

Luc. 22. *ciuiles lites iudicandi* (Canon: Quicunque litem:) *concessam ei fuisse per Theodosium ex pietate, non ex debito. Christum ad conseruandam humilitatem voluisse Pontificem indigere Imperatoris defensione in temporalibus, & simul Imperatorem indigere Pontificis directione in spiritualibus: & propterea reliquisse Imperium Tiberio, & Petro solùm contulisse Pontificatum.*

Idem ibidem. cap. 10.

Idem ibidem. cap. 9.

57 *Quod ad Principatus temporales (quos iure possident) eos Episcopo Romano, aliisque Episcopis â pijs hominibus, quales erant*, Constantius, Carolus Magnus, & Ludouicus *eius filius, donatos fuisse. Etsi absolutè fortè præstaret, Pontifices tractare solùm spiritualia, & Reges temporalia, tamen propter malitiam temporum, experientiam clamare, non solùm vtiliter, sed etiam necessariò donatos fuisse Pontifici temporales aliquos Principatus. Sicut in Testamento veteri diu fuerunt Pontifices sine Imperio temporali, & tamen vltimis temporibus non poterat religio consistere & defendi, nisi Pontifices etiam Reges essent, nimirum tempore Maccabæorum ita quoque Ecclesiæ accidisse, vt, quæ primis temporibus ad Maiestatem suam tuendam temporali principatu non egebat, nunc eodem necessariò indigere videatur.*

58 Ista ex Bellarmino totidem ferè verbis citata non adeò satisfecerunt, quin porrò obijceretur, Cardinalem (quicquid ex eius scriptis ad exprimendam sententiam suam Blacuellus carpserit) in libri tamen

tamen sui decursu disertè largiri Pontifici, sed indirectè, in ordine ad spiritualia, eam authoritatis eminentiam, vt Reges & Imperatores iure queat (recto an obliquo nihil interest) pro arbitrio suo (tanquam si ab eius nutu penderet orbis imperium) stirpitùs eradicare, dominatu suo arcere, subditos officij nexu emãcipare, incendiarios suos in illorum regna emittere, sicarios in eorum capita (vt optima quæque locorum aut temporum opportunitas blandietur) instruere, Quocirca, si istâ contentus declaratione iudicij sui, plenius hunc locum & diligentius non exequeretur, videret, ne rem omnem in exitu magis relinqueret, quàm in aditu incertam, seque manifestò proderet in Fidelitatis iuramento, tantâ præsertim Regis Regnique causâ, præter boni ciuis officium, insigniter fucum feciſſe.

59 Blacuellus minimè se vereri, quin iudicij sui professio tàm testatò, tàm diligenter pridèm facta, omnem synceritatis suæ scrupulum & dubitationem excusserit. Cui rei commemorare, quid de primæuæ Ecclesiæ, quæ trecentesimum Christi annum exceperit, praxi atque institutis, superiùs id- *Sect. 4. & 47.*
que* iteratò senserit; quàm toto cœlo dissenserit â propositis quibusdam dogmatibus, quorum* par- *Sect. 49.*
tim tuerentur (contrà quàm Fideles, quo animo tùm essent, describit Tertullianus) rectè illis temporibus licuisse, si vires suppetijssent, contra Cæsares arma sumi; * partim verò Regnorum ex vi Anathe- *Sect. 39.*
matis amissionem, & alia huius generis parùm Orthodoxa continerent. Docere porrò, quo primùm *Sect. 52.*
tempore (quantum ex Annalibus compererit) Re-

gum abdicationes, & ſubditorum emancipationes exiſtimet ad Excommunicationis ſententiam corollaria acceſſiſſe. Non pigere tamen, vt huic tandē poſtulationi ſatisfiat, paulô vlteriùs progredi: ſeque proinde affirmat, cum his ſentire authoribus, quorum ipſa verba ex commentariolis ſuis promebat, in modum ſequentem.

Coſterus in fidei demonſtrat. pag. 96.

60 *Apoſtoli nihil vigerebant: tantùm vtebantur gladio ſpiritus: neminem agebāt in exilium: nullius inuadebant facultates. Hæc omnia Eraſmus non minùs diſertè, quàm verè.*

Ioan. Maior in 4. ſentent. diſtinct. 24. queſt 3.

*Si aliqui Reges cum populo ſe tradiderunt Romanis Pontificibus, vt traditur de Anglis* (falsò tamen, vt ſuperiùs eſt demonſtratum,) *nihil ad nos. Non tamen opinor quòd Angli vllo modo permitterent Pontificem deſtruere ſuum Regem, & alium conſtituere. Nunquam enim aliquem Romanorum Pontificum hoc facere permiſerunt.*

Iacob. Almain de Dominio naturali & ciuili: in vltim. editione Gerſonis pag. 696.

*De ratione poteſtatis laicæ eſt, pœnam ciuilem poſſe infligere, vt ſunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. ſed nullam talem pœnam inſtitutione diuinâ infligere poteſt Eccleſiaſtica poteſtas; imò nec incarcerare, vt pleriſque doctoribus placet, ſed ad ſolā pœnam ſpiritualem extenditur, vtpotè excommunicationem. Reliquæ autem pœnæ, quibus vtitur, ex iure purè poſitiuo ſunt.*

61 Hîc interpellatum eſt, Blacuellum nec inutiliter, quæ antè reſponderat, dudùm commemorâſſe, longiúsque aliquanto prouectum agnoſcere, quicquid, vltra Excommunicandi poteſtatem, haberet authoritas Pontificia, id omne *ex iure poſitiuo* accreuiſſe. Cæterùm, cùm ad poſteriorem hanc ſen-

ſententiam, de Papæ in temporalibus dominio indirecto, in ordine ad ſpiritualia, tàm lento pede accedat; qui diſplicere illam alteram, de directâ in temporalibus, authoritate Pontificis, non difficulter agnouerat: obiectũ ei eſt, non videri credibile, ſi Bellarmini ſententiam, allegatam ex locis præcedentibus (vti præ ſe ferret) ingenuè ſequeretur, tantam illi vecordiam eſſe (viro alioqui graui & erudito) vt probationum earum deplorandam imbecillitatem, quibus indirectam Pontificis authoritatem aſtruit Bellarminus, ijs ſentiat euertendis ſufficere, quæ in ſecundo, tertio, quarto & quinto libri ſui capitibus fundamenta præſtruxerit. Quorum adeò capitum vni (inuidiæ ſcilicet declinandæ causâ) *Directi* titulus prætexitur, cùm tamen eius argumenta ſimpliciter omninò ſe habeant & abſolutè. Verùm cuiuis (inquit) non vltrò cœcutienti perſpicuum eſt, C. Bellarminum ſtrenuis illis ſolidiſq; rationum telis, quibus directum Papæ dominium plurimi ſit aggreſſus, tàm graue Pontifici vulnus, plagamq; ita letiferam intuliſſe, vt nullæ eam artes, quantumuis ſiniſtræ, nulla hominum vel acutiſſimorum ſolertia, nulla temporis medicina ſit vnquam ſanando. Cuius rei causâ poſtulata à Blacuello ſeueriùs eſt ſententiæ ſuæ hâc in re diligentior explanatio.

62 Fateri Blacuellus, intimi fuiſſe voti ſui, Bellarminum vel huic controuerſiæ, de indirecto Pontificis iure in rebus temporalibus, calamum non admouiſſe, vel eam efficaciùs potuiſſe (ſi quid ſaltem habeat veri) & ſolidioribus argumentis perſequi. Quorum equidem leuitati (ſi cum locis conferantur

tur ex eo proximè arcessitis) magnoperè censet tribuendum, quòd ea permulti annis hisce proximis tanto conatu refellenda susceperint. Satis enim animo videbant, Pontificiam in rebus temporalibus, Regibusq; abdicandis authoritatem, si non nisi indirectè competeret, in lubrico admodum & ancipite loco futuram, tanto presertìm per hosce dies gliscente contra Sedem Romanam simultatum incendio. Quoniam igitur rei controuersæ caput (nùm scilcet vlla prorsus Pontifici insit Imperatorum Regumq; quâquâ de causâ eradicandorum & deponendorum potestas) quod vtrique sequuntur, tàm qui hanc illi potestatem directam esse contendunt, quàm qui directam negant, indirectã volunt, ab Ecclesiæ definitione integrum adhuc maneat: obtestatur Blacuellus, ne iudicium suum porrò iubeatur in re maximâ & difficillimâ, latiùs aperire.

63 Id tantùm vt huic loco affine addit, plurimùm dolere se, quòd Pontificium in rebus Ecclesiasticis Primatum temporalis dominij prætextibus hisce adeò videat implicari, acsi eius remoto subsidio, Christus Ecclesię necessitati haud satis consuluisset, nec Pontifici summo potentiam indulsisset, muneri suo exequendo parem: cùm tamen, nondum susceptis in lucem istis nouitatum commentis, quæ tàm strenuè his diebus vrgentur (tametsi sanè ita fluctuantibus vtrînque sentẽtijs, vt in eo summè periclitari oporteat Pontificis spiritualem totius Ecclesiæ præfecturam) Petrum satis constet, & qui ab eius ętate recentes Ecclesiam procurabant, nec maximè necessarijs eius temporibus etiam tùm defuisse,

se, cùm Imperatores, quique rebus præessent ciuilibus, sæuissimum fidei bellum indicerent, rebusq; id agerent omnibus, vt Christiani nominis memoriam funditùs abolerent.

64 Cæterùm Blacuellus, quî id doceat rogatus, nondum esse Pontificis supra-dictam potestatem Ecclesiæ decreto constitutam: respondet, deesse ad manum libros suos: rem verò ipsam adeò visam sibi liquere, vt nec ad Cardinalem veritus sit eum in sensum scribere, hanc propositionem: *Papam habere potestatem deponendi Reges indirectè*, nondum esse, tanquam rem fidei, formaliter definitam. Eidem sententiæ egregios aliquot authores meminit â Couarruuiâ addi. Illô autem (inquit) Card. Alani testimoniô quid luculentius, quo hanc thesin affirmat, vel siqua parem vim habeat: posse, scil. Summum Pontificem hæresis vel Apostasiæ ergò Principes deponere, eorumque subditos iuratâ fide, & obedientiâ eximere: *disciplinæ rem esse merè Theologicæ, quam* (inquit) *si minùs secundùm nos Ecclesia definierit, at schola certè in vtramque partem disceptat.* Vel vt habet * Latina versio. *Est quidem planè Theologica & cum religione Christianâ arctissimè cohærens, de quâ si forsan non definitè pro parte nostrâ pronuntiatum sit, posse tamen & solere in vtramq; partem disputari, ipsi quidem aduersarij, qui quicquam sciunt, ignorare non possunt.*

*Blacuelli Responsio ad Bellar. vide supra. pag. 47.*

*Couar. tom. 2. pag. 504. vlt. edit. Impress. Lugduni.*

*Card. Alanus contra Iustitiã Britan. edit. Anglicæ. cap. 4. pag. 72.*

* *Fol. 326.*

65 Hîc videbatur Blacuelli premendi locus esse, quòd, de Pontificis temporali dominio (directènè id habeat, an indirectè, vel nùm ipsum prorsus dominium habeat, cuius ordo & modus, sitnè di-

rectus,an indirectus, tanto partium ſtudio controuertitur) cùm conſtet rem eſſe integram, nec Eccleſiæ Romanæ ſententiâ præiudicatam: cum* is paulò ante profeſſus ſit, liberam ſibi eſſe hâc in causâ, vt tamen ab Eccleſiæ iudicio non recederet,in vtramuis partem iudicandi poteſtatem: cùm eâ ſe libertate vſurum modò receperit, etſi ad Cardinalis ſententiam ipſius Literæ ſe inclinârint: adeò tamen (quod omnes mirari habeant) ægrè adducatur, vt mentem ſuam aperiat,ab omni perſonarum reſpectu liberam,quid de iſto demùm indirecto ſentiat(quod Pontifici in ordine ad ſpiritualia Bellarminus aſſerit) temporalium dominio,in quo præſertìm tam inſigne Regis,reiq; publicæ diſcrimen agatur. Quamobrem ſubinde cùm inſtaretur,vt pro ſuo in Deum officio,in Regem obſequio, ſyncerè & fideliter hâc de re animi ſenſa promeret: Blacuellus, qui ſe toties inſinuatô Maieſtatis ſuæ, ipſiuſq; adeò VERITATIS nomine, ad ſyncritatem vocari ſenſerat, nec aliam videret reliquam eſſe, Magiſtratui fide bonâ (prout teneri ſe intellexerat) ſatisfaciendi rationem ,ad extremum ſic reſpondit.

* Sect.36.

66 Primò verum eſſe, ex tribus ijs ſententijs nullam adhuc ſub Eccleſiæ decretum alterutram in partem veniſſe. Neque verò iuſtâ exceptione carere,quod rê ipsâ nondum conſtitutâ, (nùm Regum & Principum eradicandorum & deponendorum poteſtatem omninò acceperit Pontifex) tàm vehemens vtrinque pugna ſit de modo, directè an indirectè eandem acceperit. Iam verò Cardinalis hâc in causâ iudicio quòd videretur vti, hinc profectum, quod

quod in eo frequentior esset Theologorum consensus, neque se ergo debuisse â tanto viro palam dissentire; cùm non nisi turbulenti sit ingenij, quæ in rem Ecclesiæ commodè sint sopita, anxiâ disquisitione agitare; peccetque in vulgatum illud: *Malum benè positum non esse mouendum*: præcipuè vbi istiusmodi motum constet Ecclesiæ quieti posse, & tranquillitati officere. Hînc sibi iudicij sui his de rebus tacendi eam obstinationem fuisse: nec nisi tàm assiduo, tàm necessario adactum Magistratus imperio (quod vtique *Quæstionis* huius variæ testantur paginæ) ab eâ se demùm recessurum.

67 Porrò, ex præterito sermone manifestum (inquit) est (quod adeò vt proprium huius instituti in procinctu meminit) non modò, quæ in iuramento Fidelitatis doctrinæ capita proponuntur, ea sic esse ab Ecclesiâ in medio relicta, vt in vtramque partem (Alano teste) liberam habeant disputationem: sed & C. Bellarminum, cùm ipsum iureiurando suo *in discrimen adduxisse* argueret *vnum ex præcipuis fidei capitibus, & Catholicæ religionis fundamentis*, falsâ auditione deceptũ, existimâsse, Pontificium in causis Ecclesiasticis Primatum eo iuramento peti, cui tamen (*vt supra sit auditum) nihil haberet affine. Secùs enim, vnde fidei, vnde religionis capiti aut fundamento cuipiam ê susceptο iureiurando discrimen, cùm nullum istiusmodi caput, aut religionis fundamentum ab Ecclesia definitum, aut constitutum reperiatur? * Pag.

68 Quam ergò libertatem suam agnouerit, saluâ vt possit religione Catholicâ, sicut de directâ in

temporalibus authoritate, (quam Pontifici abnuerat) ita de *indirectô* eius dominio toties vtique inculcato, ſententiam ſuam non diſſimulanter aperire: reſtat vt eius beneficio nunc demum vtatur: nec enim eſſe, quòd hanc minùs opinionem liceat, quàm illam alteram repudiare. Proin, factâ primùm fide & candoris profeſſione, tandem pronuntiat, ſe neutram pro verâ habere ſententiam. Ex Bellarmino autem quæ fuſiùs paulo ante retulerat: ea penitùs credit, Catholicæ veritatis ſolido fundamento niti, neque aut Canoniſtarum, iſtorumq; qui nuper ad partes acceſſerint, pertinacium directi dominij vindicum, aut contrariæ diſciplinæ, quæ in Imperatoriam, Regiamq; Maieſtatem, eâdem (tametſi indirectâ) authoritate Pontificem armârit, coniunctis poſſe viribus ſubrui. Hanc ſibi denique iudicij ſui, de duabus ijſce oppoſitis ſententijs declarandi, hînc maximè natam fiduciam, quòd (vt dictum ſit) Eccleſiæ authoritas nondùm definierit, prorſuſnè à Chriſto Pontifici delegata ſit hæc Cæſarum, Regumq; extirpandorum poteſtas, de quâ adeò præpoſterâ contentione agitur, dùm priuſquàm de ipſo iure certum ſit, certamen vtrinque ſuſcipitur de modo: his, directum ſuadentibus eſſe, illis, indirectum.

69 Sed nec videri Bellarminum, ſingulari iudicio & eruditione virum, illa duo capita diſceptantem (nùm iſta Regum abdicandorum poteſtas directè, an indirectè, Pontifici obuenerit) adeò definitè vel hînc vel iſtînc pronunciaſſe, quin de illo tertio (dederitnè hanc Petro Chriſtus vllo in gene-

re

re authoritatem) integram sibi reliquerit sententiæ suæ (si res nata tulerit) mutandæ facultatem. Cùm enim alicubi affirmat, *Papam, vt Papam, ordinariè temporales Principes deponere, etiam iustâ de causâ non posse: posse tamen Regna mutare & vni auferre & alteri conferre, tanquàm Summum Principem spiritualem, si id necessarium sit ad animarum salutem*: quid aliud, sensu licet occultiore, significat, quàm nullam Pontifici rectè deferri Regum abdicandorum potestatem? Etenim S. Petrum constat nec deriuâsse, nec vllam potuisse, præter ordinariam, in posteros authoritatem suam deriuare. Atque hînc est, quod vulgò sit receptum, cæterum Apostolorum ordinem eâ prærogatiuâ caruisse, Petri vestigijs vt possent, plenitudinem virtutis & potentiæ suæ, quam extraordinariam sortiebantur, non, vt Petrus, ordinariam, in successores suos propagare. Extraordinaria enim potestas non transit in successorem. Quod adeò literas suas fatetur, etsi modestiùs, insinuâsse, cùm locum illum ex Cardinali citatum, (*Non posse Papam, vt Papam, ordinariè Principes deponere*:) in hunc modum premeret. *Verba iuramenti sunt, Papam non habere authoritatem deponendi Regem, & disponendi de Regnis & dominijs Maiestatis suæ. Et communis intellectus apud Magistratum ad nullum alium conceptum propendet, quàm ad hunc, viz: Papam, vt Papa est. Nam non potest pertingere ad illũ conceptum, viz. tanquàm summum Principem spiritualem. Et cum proponitur iuramentum suscipiendum, illius sensus cognitus â Magistratu, restringitur ad ordinariã potestatem: Nam qui proponunt iuramentum, illi remotissimi sunt â cogi-*

*Bellarm. lib. 5. de Rom. Pont. cap. 6.*

*Blacuell. Respons. ad Bellar. suprà. pag. 41.*

*tatione extraordinariæ, aut indirectæ potestatis in Papâ residentis.* Et cui (inquit) obscurum est Papam non aliâ ratione Summi Principis spiritualis apicem mereri, quàm quâ sit Papa, & quod proinde, vt Papa, non possit, nec posse, vt Summũ Principem spirituale? Sed & Carerius haud dubiè hinc nactus est, quod in suam rem vertat, dùm pluribus argumentis contendit, Christi vicarium propriè dici Papam, eoque rem enixè vrget, vt Papam concludat, *vel non esse Christi vicarium, vel inferiores potestates, vt Papam, iudicare.*

*Carer. de potestat. Rom. Pont. lib. 2. cap. 8.*

70 Porrò *Quæstionis* huius tricesimum nonum,* alioſque articulos, multaque per eius decursum passim aspersa, qui attentiùs considerabit, facilè (inquit) comperiet, illam Responsi sui* clausulam ad Cardinalis literas, cuius præter cæteras suspecta fides, iuramenti fidelitatis vim vltimam cõsectari. Siqua enim Pontificis erit Regum abdicandorum authoritas, eam certè è potestate excõmunicandi haud acquirit, sed è dominio temporali vel directo & ordinario, vel indirecto quæsitam habeat, necesse est. Iure autem ordinario posse Papam, vt Papam, Reges deponere fidenter negat Bellarminus. Carerius contrà, earumq; partium æmuli, non minore certant fiduciâ, Pontificis aut ordinariam esse, aut nullam planè istiusmodi authoritatem. Quod ergò paulò antè senserat Blacuellus, Pontifici nullam rectè tribui Regum abdicandorum potestatem, quâ rerum temporalium dominus sit, siue directè siue indirectè, illud concludit in iuramenti à se suscepti hanc formulam incidere: *Non posse Papam vel à se, vel*

** 66. 68. 69.*

**Papã non habere Imperialem & ciuilem authoritatem deponendi Reges.*

*vel vllius authoritatis vi, ab Ecclesiâ vel sede Romanâ acquisitæ, nec alia quâuis ratione, etiam cum alijs coniuncta, Regem deponere.* Prætereà, si ista Regum exterminandorum potestas Romano Pontifici obtigisset, cùm eam oportuerit dominij iure, vel directo, vel indirecto partam esse: quoniam hæc dominij vtraque ratio Imperialem supponit & ciuilem potestatem: satis ait apparere, (siqui ista diligentiùs expenderint) cùm Cardinali scriberet, *Pontificem non habere Imperialem aut ciuilem potestatem deponendi Regis nostri*, id se re ipsâ significâsse, nullam prorsus Pontifici concedi Maiestatis suæ deponendæ authoritatem.

71 Sermones autem Regios quòd in præstando Fidelitatis sacramento sequeretur, idque adeò Cardinali voluerit ita factum videri: eum vti porrò locum expediat, hoc addit: nisi ad propositam interrogationẽ, qui verè respondeat, in eo arguetur fraudem feciſſe, quòd omnem, quæ subesse queat, rei veritatem non simul enunciet, (quæ tamen ratio satis videatur insolens, cùm nec ê scholæ, nec ê fori disciplinâ, vltra quæstionis modum responsi fides exigatur:) videre se negat, quid ê suo ad Bellarmini literas Responso, in criminis argumentum trahi possit, quarum præsertîm summa omnis literarum huius esset erroris manifesta, se in Fidelitatem iurando, Pontificium in Spiritualibus primatum vnâ operâ eierâsse.

72 Cuius erroris minuendi causâ, quòd iurisiurandi sui scriberet hanc esse sententiam: *Pontificem non habere Imperialem aut ciuilem Regis deponendi*

*di poteſtatem*: id equidem verè ſe putat ſcripſiſſe, ſiue eiuſmodi poteſtatis directum placeat eſſe ordinem, ſiue indirectum. *Pro libitu verò & appetitu ſuo* id poſſe, quod negaret: & illud ſtatuit verum eſſe, tametſi directum illud, quod quæritur, in temporalibus dominium Pontifici vel maximè largiamur. Ad hæc, poſtquàm varios huius ſententiæ authores protuliſſet, indirectam Papæ eſſe in temporalibus poteſtatem in ordine ad ſpiritualia: quòd hinc inferret, omnem deponendi Regis noſtri poteſtatem Pontifici intercidiſſe, quòd eum hâc ratione conſtaret authoritate ſuâ *ad ſpiritualia non promouenda, ſed euertenda* abuſurum; ſeque ſubijceret non aliud hâc in re ſentire, *quàm quod Theologi in ſuas concluſiones compegerint:* nec in eo quidem exiſtimat, falſi ſe poſſe argui, cùm ex communi Theologorum ſententiâ, Pontificis nulla ſit ad deſtruendum authoritas. In ſummâ, vt ſingula Epiſtolæ Bellarminianæ loca pleniôre potuerit reſponſo exequi, quæ tamen ſcripta ſint, cùm in rem ſatis eſſe decreuerit, hunc ait reſpondendi modum, vt ſuis rationibus conſultiſſimum, maximè placuiſſe.

*Blacuell. Reſponſ. ad Bellar. ſuprà pag. 39.*

*Ibidem. pag. 42.*

73 Hæc à Blacuello iudicij ſui ſtudiosè facta profeſſio, etſi dicta ſit omnium poſſe animos explere, qui nuperas non capiunt *Æquiuocationis* præſtigias, illa tamen Bellarmini diſtinctio (*Papam licet directè nequeat, vt Papa, poſſe tamen, vt ſummum Principem ſpiritualem, mutare Regna, & vni auferre, atque alteri conferre, temporalis ſcil. Dominij vi, in ordine ad ſpiritualia*) nouum iniecit ſcrupulum, ne, quæ eius reſponſio Imperialem omnem & ciuilem (ſiue directam

*Bellar. de Rom. Pont. lib. 5. cap. 6.*

rectam siue indirectam) Pontifici adimeret Regum eradicandorum, populiq; exauthorandi, & iustâ ad seditionem authoritate armandi potestatem, ea hanc aut similem tegeret effugij latebram: non esse Pontifici Imperialem aut ciuilem, scil. propriè dictam, rerum istarum potestatem. Ciuilem enim & temporalem hanc authoritatem (directa ea sit, an indirecta) ad Reges solio deturbandos cõuersam, à negotij cui adhibetur fine, nomẽ sortiri. Cuius adeò finis, vt qui in Ecclesiæ salutem pertineat, cùm spiritualis sit natura, ipsam etiam potestatem, *temporalis* exutô nomine, in *spiritualis* appellationem transire. Ex quo fieret, vt quæ per totam huius operis seriem Blacuellus sit professus, omnis eorum tali sophismate elusa fides interiret, vt cùm Pontifici negâsset *Imperialem esse, aut ciuilem Regis deponendi potestatem*, id nimirum intelligeret, nõ posse Papam ciuilis vi dominij, quâ ciuile esset, sed quâ spirituale, Maiestatem suam Regiâ potestate exuere: vel cùm pari sententiâ asseuerâsset, Pontifici temporalem nullam esse (directam vel indirectam) Regum abdicandorum potestatem, id eo sensu verum esse distingueret, quòd quæ in temporalibus Pontifici defertur, Regum deponendorum authoritas, ea spiritualis rectè vsurpetur, non temporalis, quo propriè designatur vocabulo cùm à Regibus ad scopum merè ciuilem adhibetur. Hunc ergò iubetur Blacuellus, dilucidâ mentis suæ explicatione, scrupulum tollere.

74 Iniquo hîc animo ferre Blacuellus, quòd nullo videretur pignore, de obsequij sui fide satisdaturus; se tamen innocentiæ & synceritati suæ quan-

tumuis minus æquos æstimatores nactæ, nullâ in rê defuturum. Hoc itaque ad rem obiectam paucis responsum expedit. Esse sanè qui affirment, Pontificem, quoties vt saluam & sospitem conseruet spiritualis imperij Maiestatem, pœnas infligit ciuiles, *nullâ dicendum esse iurisdictione vti temporali, sed merè spirituali; cùm totum hoc ad animarum salutem cœlestéq; regnum referatur.* Cæterùm illius sententiæ assertores, cùm interpositâ aliquâ correctionis clausulâ) verbi gratia, *quasi, dici potest, magis, quodam modo*) eam plerunque soleant mitigare: manifestò arguere, temporalis istiusmodi potestatis, etiam finem spiritualem sequuutæ, haud illis verè, & rê ipsâ videri, naturam esse vsquequâq; spiritualem.

*Boetij Eponis Heroic & Eccleſiaſt. Queſtiones pag. 185.*

75 Neque verò intelligit, quemadmodum rectè possint, Regum deponendorum, aut populi ad arma ciendi cõsilia, in spirituales actiones referri. Vt ad pauca redeat, sic sentit: debere spiritualem Pontificis summi potestatem intra claues Regni cœlestis, Ecclesiæque censuras, propriè appellatas, consistere. Ad Reges autem sedibus amoliendos, temporale Pontifici nullum esse dominium, directum nec indirectum, quâquâ demum appellatione siue ciuilis siue spiritualis, in ordine ad spiritualia promouenda (vt Pontifici videtur) adhibitum, censeri possit, etiamsi ista Pontificum in Reges facta finem vel maximè spiritualem, aut supernaturalem (Ecclesiæ scilicet vtilitatem, & rei Christianæ propagationem) videantur destinare. Quam sanè rationem nec Apostolico putat instituto, nec illustrium eorum, qui & primis, & diu secutis Ecclesiæ temporibus Romam insede-

insederunt, Episcoporum moribus & praxi conuenire: & (si verum quærimus) ad Catholicæ potius Ecclesię dispendium & iacturam, quàm emolumentum pertinere.

76 Ista diligentiùs animo versantem, quàm difficili loco versetur defensio iuris Pontificij, ad Reges non sacrorum aditu, sed sceptrorum potestate arcendos: subire se fatetur mixtum admiratione dolorem, quòd vel Gregorius septimus, vel Pontificum succedentium quilibet id sibi potestatis sumpserit, vt editis in Imperatores, Regesque, & Principes aliquot Anathematum sententijs, hoc depositionis, populiq; exauthorandi, & ab eorum obedientiâ, sub pari Anathematis pœnâ, reuocandi decretum admiscerent. Infinitas hinc clades deinceps manâsse tùm in Regum ipsorum, tùm præcipuè in ciuium capita, qui causæ, quam sequerentur, æquitate confisi, in eâ obstinati animam profuderint: cùm in hâc interim se fraude esse homines incauti non intelligerent, vt, quemadmodum ipsorum omnia contra Principes suos consilia flagitij crimen & proditionis haberent; ita si fortè vel ea minùs prouenirent, vel inter Papam accideret & infensos Principes restitui gratiam, eò res illis ferè redierit, vt simulatione alicuius errati in rê gerendâ admissi, perduellium & proditorum in causâ, (& quidem meritò) censerentur. Hanc proinde sperat aliorum calamitatem documento Catholicis futuram, ne vllo se sinant prætextu à Principum suorum obedientiâ vel tantillum distrahi.

77 Sed & se prorsus animum inducere, sceleratissimæ

tiſſimę illius,longèq; atrociſſimę proditionis authores, quæ per ſulphurei puluerís inſidias cogitata, *Puluerariæ* nomen inuenit,non ſine ſtudio iuuandæ rei Catholicæ(quòd Maieſtatẽ ſuam vidiſſent à defunctâ Reginâ inſtitutã in Catholicos rationem perſequi,vel ſiquô prætereà cõſiliô incitatos)id ſceleris concepiſſe. Qui tamen ſicut hanc domeſticô iudiciô facinoris mercedem tulerunt, vt damnati proditionis, proditorum ſupplicio plecterẽtur:ita apud moderatiores omnes exterarum partium Catholicos cæteroſque, qui res attentiùs iudicant, non aliud incœpti prę̃mium ſunt conſequuti,quàm teterrimam ignominiæ notam, nominiſq; ſui ad omnem poſteritatis memoriam,labem ſempiternam. Quam eandem Blacuellus omnium capitibus fortunam imprecatur, ſiquos vnquàm,in Regiam,ſoboliſuè Regiæ, aut Regni ſalutem, vel minimi vllo in genere maleficij,quantumuis conſcientię,quantumuis pietatis, aut in Pontifices Romanos officij excuſatione,aut quâuis prætereà laruâ prætexti,cogitatio ſubierit.Ad cætera addit,ſicut rectum ſibi videri, vt *Catisbeium*, reliquoſque coniurati ſceleris ſocios nullius non hiſtoriæ ſtylus infami inurat ſtigmate *Proditorum*: ita illud indigniſſimum, quòd Criſtanouicus iſte (de quo ſuprà)vt aliquâ ex parte coniuratorum culpam eleuet, ſceleris inuidiam conetur iniuſtâ equidem & impudente calumniâ, ab ipſis authoribus in nomen omne Anglicanum deriuare. Qui poſtquàm multis diſputâſſet,familiares ab omni memoriâ hominibus noſtris fuiſſe iſtiuſmodi conſpirationes,nec eas ex religionis,ſed inſito rerum

noua-

nouarum ſtudio, & perfido incolarum ingenio profectas: rem ita concludit: (loquitur autem de proditoribus puluerarijs:) *Cauſam tenes, Lector, coniurationum Anglicarum, quarum furorem, falsò religioni Catholicæ legiſlatores tribuũt.* Et paulò poſt: *Non ergo Catholicum ſed Anglicanum ingenium Angliæ Reges non ſinit ſecuros eſſe.* Quod enim (inquit Blacuellus) de Anglicanâ natione, hoc iudice, pronunciatur, non minùs poterit verè de quâuis gente aſſeuerari, ſi tàm malè fundata tàm præcipiti cenſuræ argumenta ſuffecerint. Verùm memor inſtituti, ad votum redit, vt Catholicis omnibus, cæteriſque in genere Anglis nunquàm ex animo effluat, quod meriti præmium, quid præconij, quàm infamem nominis ſui famam nec iniuriâ expectare habeant, quotquot in Principum ſuorum ſalutem (vt dictum ſit) vel honeſtiſſimo nomine prætenſo, quicquam deinceps molientur.

*Staniſla Criſtanouic. Examen. Cathol. fol. 18.*

*Ibidem.*

78 Blacuellus in hunc modum expoſito paſſim, pro natâ occaſione, iudicio ſuo, poſtquam multa queſtus eſſet, quanto cum dolore vel minimam infidelitatis ſuſpicionem vel à Maieſtate ſua, vel à Magiſtratibus ſuſtineret, vt rem abſolueret, ſuperiorem omnem ſermonem iſtô reliquæ profeſſionis ſuæ authoramento obſignari voluit: in hæc verba.

*Verè ſe, ingenuè, atque ex animo agnoſcere, profiteri, & conſcientiâ teſte, coram Deo & hominibus declarare, ſereniſſimum Dominum ſuum Regem* Iacobum, *ex iure & diuino, & huius Regni municipali, legitimum eſſe verúmque, tàm de facto, quàm de iure, huius Regni, & cæterarum Maieſtatis ſuæ ditionum, & Prouinciarum*

*Regem: neque eius subditis vel fas superiore tempore fuisse armatâ manu Maiestatem suam huius Regni aditu prohibere, vel imposterum licere eisdem posse, in Regni solio iam constitutum armis inuadere, aut perniciosi quippiam, contra eius vel salutem vel statum, vllo in genere consilij capere: tametsi Pontificium in rebus Ecclesiasticis primatum reiecerit, eosq; omnes (quantum quidem detur) studeat coercere, qui in re religionis ab ipso dissenserint: vtcunque ijdem subditi (siue ij à Catholicorum disciplina erunt, siue Protestantium) numero, viribus & copijs instructi, rem eam videri poterunt commodè effecturi, vt nullam interim Catholicæ causæ labem, nullum sibi aut capitis, aut fortunarum periculum inferant.*

79 *Neque porrò iure diuino posse Romanum Pontificem, vel à se, vel vllius authoritatis vi, ab Ecclesia aut sede Romana acquisitæ, vel alia quauis ratione cum alijs coniunctâ, vel directè, vel indirectè in ordine ad spiritualia (siue ea authoritas spiritualis, siue temporalis, seu mixta, vel aliâs censeri possit) Regem deponere, aut de ipsius Regnis, vel dominijs disponere, vel extraneo cuiuis Principi ipsum aut ipsius territoria inuadendi, aut infestandi potestatem facere, vel ex ipsius subditis quemlibet à fide & obedientia Maiestati suæ debitâ exauthorare, vel illorum cuipiam facultatem permittere arma in eum gerendi, tumultus ciendi, aut Maiestatis suæ personæ, statui, regimini, vel subditis suis, intra ditionis suæ ambitum, vim aut noxam inferendi.*

80 *Præterea se ex animo profiteri, quòd non obstante quâlibet declaratione, siue Sententiâ Excommunicationis aut priuationis factâ vel concessâ, aut faciendâ*

dâ vel concedendâ, per Papam aut eius successores, vel cuiusi is authoritatis vi, ab ipso aut ab eius sede deriuatæ, vel deriuari prætensæ, contra prædictum Regem, illiusue hæredes aut successores, vel quâuis subditorum à suâ obedientiâ exauthoratione; ipse tamen fidem & syncerum obsequium Maiestati suæ, ac eius hæredibus & successoribus præstabit, illum atque illos pro viribus defendet contra omnes conspirationes & conatus, quicunque in eius vel illorum personas, coronam & dignitatẽ sient, ratione vel prætextu eiusdem sententiæ aut declarationis, vel etiam cuiuslibet authoritatis aut potestatis, vel directæ, vel indirectæ in ordine ad spiritualia Romano Pontifici in rebus temporalibus tributæ (siue ea demum spiritualis, siue temporalis, seu mixta vel aliâs censeri posset:) operamque dabit sedulam, vt omnes coniurationes & conatus proditorios Regiæ Maiestati, eiusque hæredibus & successoribus detegat & patefaciat, quos contra ipsum aut eorum quemlibet rescierit, vel acceperit comparari.

81 Ad hæc, se ex intimo corde asseuerare, quòd auersatur, detestatur, & vt impiam & hæreticam, abiurat execrabilem hanc doctrinam & assertionem: Principes à Papa Excommunicatos vel iure Regali exutos, huius prætensæ in Tẽporalibus authoritatis vi, aut directæ aut indirectæ, in ordine ad spiritualia (siue ea spiritualis, siue temporalis, seu mixta, aut alias censeri possit) licitè posse à subditis suis vel quocunque alio, Regno vel etiam vitâ priuari, quicquid contrà præcipi, mandari, aut consuli directè vel indirectè à quouis mortalium possit: quicquid de interpretatiuâ Pontificis voluntate dici aut declarari possit: Quòd viz: siquis, propter illam

*illam Excommunicationem aut depriuationem, aut vtramque, zelo incitatus, contra Regem audebit arma capere, vel eidem manus inferre: tenetur Papa ex officij sui debito, factum eius comprobare, quòd id sententiæ suæ perficiendæ, eique quem ipse maximè sequitur, fini promouendo inseruiat.*

82 *Se porrò credere, & firma conscientia tenere, nec Papam neque quemuis alium posse se à iuramento iampridem suscepto, vel vlla eius particula absoluere: vt eo videri sibi possit ab aliqua Fidelitatis suæ parte verè liberatus: seq; adeò omnibus in eam rem indulgentijs & dispensationibus renuntiare.*

83 *In summa, se ingenuè & syncerè, tanquam in Dei conspectu, & pro ea, qua sit in Regem fide, agnoscere, hæc omnia istius* Quæstionis *suæ responsa hactenùs scripto excepta, verum ipsius iudicium (pro doctrinæ suæ modulo) complecti; omni remotâ æquiuocatione, mentali subterfugio, aut occultâ reseruatione: neque esse aliter intelligenda, quàm iuxta verba, quibus hic sint expressa, nudumq; & vulgarem eorundem sensum & intellectum.*

84 Cæterùm porrò monitus est Blacuellus, etsi iudicium suum in rebus suprà quæsitis (si Pontificium in spiritualibus Primatum, & minuta quædam exceperimus, à Fidelitatis sacramento aliena) laudabili obsequio aperuisset; etsi indirectam Pontificis in temporalibus Regum deponendorum potestatem Ecclesiæ sententiâ negâsset hactenùs esse definitam: rem tamen hunc casum adhuc recipere: nùm aliquando definiat, nùm pro re fidei à suis Catholicis credi *velit iubeat* Pontifex, ius sibi datum

Reges

Reges abdicandi,& de eorum ſubditis, vt ſuprà,ſtatuendi. Quâ tàm incertâ conditione Maieſtati ſuæ, cæteriſque nominis Chriſtiani Principibus (prout cuiuſq; ferent tempora) & ſuorum fidem,& ſalutem ſuam dubiam adhuc & ſuſpectam relinqui. Huius ergo dubitationis expediendæ causâ, Blacuelli reſponſum efflagitabatur.

85 Cauſari primò Blacuellus inſolens & inſperatum quæſtionis genus: cùm doctorum ſcholam omnem diceret in eo conſentire: de futuris contingentibus non eſſe iudicium. Proin orare, vt hic ſibi locus vacuus dimitteretur.

86 Reſponſum eſt: etſi de rebus futuris contingant necne, verum ſit, non conſtare iudicium: propoſitâ tamen rê certâ & definitâ, quid de eâ, ſi contingat, ſit ſtatuendum, certum poſſe & explicatum iudicium præſumi. Exempli causâ, in rebus eſſe contingentibus, ſitne aliquando futurum, vt quam apud nos ſæculis retroactis obtinuit Pontifex ſuperioritatis prærogatiuam, eam Rex Anglorum aliquis, ex communi Ordinum cõſilio lege latâ iubeat integram reſtitui. Ecquis tamen ambigat, quin opinionem ſuam rogatus, nùm illiuſmodi legem, eiuſque vſum in rebus licitis iuſtiſque habeat: vtrumq; ita eſſe iudicio ſuo ſit præcepturus? Idem in caſu propoſito licere, cùm obijceretur, rê deliberatâ, Blacuellus ſic reſpondit.

87 Etſi (inquit) vel maximè pro rê fidei formaliter definiri placeat, eoque loco in theſi recipiendâ, Pontifici hanc eſſe in Reges ſtatuendi authoritatem: ſi tamen (quod ipſius excipiunt ad

Cardinalem literæ ) in hypotheſi quæſtio proponatur, *an Papa habeat poteſtatem deponendi Regem noſtrum, rebus in eo, quo nunc ſunt, ſtatu permanentibus apud nos*: in priſtino ſe dicit hærere reſponſo; *determinationem huius quæſtionis, quoad Maieſtatem ſuam, futuram, de eo, quod eſt fidei materialiter: quia eſſet determinatio de quæſtione, quæ in rebus creditis accidit, & proinde non diceretur determinatio de fidê, ſed de tali materiâ*: in quâ cùm (Sylueſtro & Couarruuiâ authoribus ) falli queat Pontifex: definiat (inquit) Roma in hâc causâ ſiquid velit, id tamen in Regem noſtrum ſi iubeatur perfici, â ſubditorum nemine, vt quod in Eccleſiæ perniciem ſpectet, non ſalutem, recipiendum erit, vel audiendum.

*Blacuelli literæ ſuprà.*

88 Hoc reſponſum quòd in præteritas exceptiones incideret, viſum eſt eaſdem porrò vrgere. Quæ diuerſis auctæ circumſtantijs, commemoratis item, quæ antè faſſus eſſet, pluribus: vicerunt tandē, vt ſententiâ ſuam latiùs in hunc modum explicaret.

Primò haud temerè videri futurum, vt pro fidei dogmate â Catholicis credendô, Pontifex vnquàm definiat, eâ ſe præditum poteſtatis eminentiâ, vt Cęſares Regeſq; poſſit imperandi iure, ſubditos parēdi officio exuere, vt hi ſine ſcelere queant Principibus ſuis vel obſequium renuntiare, vel bellum indicere. Idque eò potiùs ſe dicit autumare, quòd hactenùs eam rationem, etiam cùm tutiùs & minore ſcandalo tentari poſſet, & verò in difficillimis Romanorum Pontificum, vrbiſque Romanæ temporibus, nuſquàm reperiat initam: nec proinde moderni Pontificis, Cardinaliumque eius aſſeſſorum conſiliô

ſperat

sperat fore definitam, quos certò sibi pollicetur, si quos vnquam superiorum, tùm moderatos, tùm prouidos esse, longèque in posterum prospicientes, quanto cum Ecclesiæ incommodo hunc lapidem sint moturi.

89 Prætereà, sicut omninò persuasum habet, ad diuinę iustitię gloriam nihil dici magnificentiùs, quàm si Deum negemus quicquã posse, quod sit iniustum: neque Maiestatis Regiæ splendorem vllâ re præclariùs exprimi, quàm si dicantur, Reges cùm sint, non posse seruorum conditionem induere: pari (inquit) ratione, dignitatis Pontificiæ tantum abest vt imminuat, vt multùm etiam amplificet gloriam, si complura assueramus esse, quæ, quòd nec errare possit, non possit Pontifex. Verbi causâ (vt rem propositam ne egrediatur) penes Pontificẽ non est, quocunque nomine, vt coniugis alienæ stuprum, ità nec subditorum in Maiestatem suam perduellionem in rebus legitimis definire. Similiter, vtì nullâ potest sanctione, nullô prætextu Pontifex efficere, vt patre viuo, pro filio non sit, qui sit naturâ filius: ità nec vllâ poterit definitione obtinere, vt quos Regis cuiuslibet imperio nascendi sors subiecerit, ij Rege suo superstite, desinant esse subditi.

90 Porrò (inquit) certum est, indecisæ istius Regum abdicandorum potestatis (si definiatur, inesse Pontifici) in harum rationum alterutrâ definitionẽ consistere, vel directi, scil. vel indirecti in temporalibus dominij vî inesse. Quòd si in vtramuis partem Ecclesia definiat, eâdem operâ sententiã damnet, necesse est, vel C. Bellarmini, & strenuarum, quæ ab eo

sunt, partiũ (quod Ecclesiæ turbas poterit nonnullas ciere) vel C. Baronij & suorũ, qui cùm sint plurimi, indies tamen & numero fiunt & causæ suæ fiduciâ auctiores (quod proculdubio ex vsu non videbitur, cùm eorum placita Romanæ Ecclesiæ splendori multô magis seruiant, quàm quæ aduersatiorum tuetur non minor confidentia:) Blacuellus indubiè habet, vel nullo vnquam sæculo, de illiusmodi Definitione cogitatûm iri, vel non hôc nostro, dùm tàm strenuè dimicatur de modo, directène, an indirectè, immediatè, an per consequentiam, Christus Petro dederit (si saltem dederit) hanc Regum deponendorum authoritatem: nisi fatis suæ ducant esse prudentiæ, inter ista partium studia, sine solidis rationũ fundamentis, sine constantibus Scripturarum & Patrum testimonijs, ijsque frequentis Ecclesiæ assensu & authoritate comprobatis, rem omnem definiendo transigere; quod à Pontifice & Cardinalibus tentatûm iri aliquando, sapientibus viris, omniq; in genere præstantibus, negat Blacuellus venire sibi in mentem posse.

91 Adhæc, etsi maximè in vulgus disseminari possit (id quod falsâ multorum famâ iampridem sit factitatum) Pontificis istam Regum abdicandorum potestatem pro rê fidei esse Romæ definitam (vt vetus illa iam indè â septimi Gregorij temporibus, de hôc Pontificis iure, propagetur opinio, idque Principum Christianorum beneficio, quô faciliùs eo terrore contineantur, si rei Christianæ officijs aliquando defuerint:) Blacuellus tamen Catholicos seriò monendos censet, ne istiusmodi nuncio temerè

rè fidem adhibeant, quoad rem ipsam certo oculorum indicio testatam, consignatamq; habeant, prout in tanti momenti rebus ex Canonum instituto requiritur. Quod sanè haud vnquàm arbitratur vsuventurum; vel siquid eo in genere mouebit Roma, non eò videtur processura, vt Regum deponendorum potestatem Pontifici sanciat, sed damnet forsan iuramenti Fidelitatis vsum. Quam sanè Definitionem Blacuellus facilè prospicit, hoc falso vsuram fundamento; Fidelitatis illo iureiurando, contra Pontificis in spiritualibus Primatum, simul iurari: id quod & Cardinalis literæ, & Cristanouici illius verba præsignificant, qui recitatô totidem verbis hôc ipsô sacramento, ita statim subiungit. *Quod iuramentum? De primatu Regis in spiritualibus.* Tali ergò Definitione, siquam acciderit, etiam authenticè confirmatam, penetrare in Angliam, cùm ea intelligenda sit per fraudem, & iniquorum calumniã (quæ de Pontificis æquitate Catholicorum debet esse opinio) perperàm impetrata, ad perniciem spectare; Catholicos minimè censet obligari, quin eâ præteritâ, tutò licitèque possint sacramentum illud, legimè rogati, subire.

92 Et verò, quicquid poterit siue de Fidelitatis iuramento, siue indistinctè, de Pontificio in temporalibus dominio (nullâ additâ directi, vel indirecti mentione) Romæ definiri, illud tamen maiore ornatu, quàm sit Bonifacij octaui similis sanctio, non videtur fore editum. Lubeat eius verba audire: *In hac eiusdem potestate duos esse gladios, spiritualem viz. & temporalem, Euangelicis dictis in-* *Bonifac. de Maior. & obedient.* Vnam sanctam.

*ſtruimur. Nam dicentibus Apoſtolis*: Ecce duo gladij hîc (*in Eccleſia ſcilicet, cùm Apoſtoli loquerentur*) *non reſpondit Dominus, nimis eſt, ſed ſatis. Certè, qui in poteſtate Petri temporalem gladium eſſe negat, malè verbum attendit Domini proferentis*: Conuerte gladium tuum in vaginam. *Vterque ergo eſt in poteſtate Eccleſiæ, ſpiritualis, ſcil. & materialis.* Et paulò inferiùs. *Veritate teſtãte, ſpiritualis poteſtas terrena inſtituere habet & iudicare, iuxta verba Ieremiæ Prophetæ: Ego cõſtitui te hodiè ſuper gentes, & Regna, & cætera quæ ſequuntur.* Hanc definitionẽ hôc apparatu in Regem Galliæ ſancitam (eum enim præcipuè deſtinabat) noua tamen quinti Clementis Conſtitutio haud diu poſt magnâ ex parte ſuſtulit, hiſce verbis. *Nos Regi & Regno, per definitionem & declarationem bonæ memoriæ Bonifacij Papæ octaui, prædeceſſoris noſtri, quæ incipit*: Vnam ſanctam, *nullum volumus vel intendimus præiudicium generari, nec quòd per illam Rex, Regnum, & Regnicolæ prælibati ampliùs Eccleſiæ ſint ſubiecti Romanæ, quàm anteà exiſtebant, ſed omnia intelligantur in eodem eſſe ſtatu, quo erant ante Definitionem præfatam.*

93 Sed nec eo loco habitam illam Bonifacij Conſtitutionem, quin præter Clementem Pontificem plures reperti ſint, ijque Pontificium infra faſtigium, qui argumentorũ nonnulla, ex quibus ea ſtructa ſit, non ſint veriti in manus ſumere refellenda: vt *de duobus gladijs* locum illum C. Bellarminus, alijque porrò, quorum ipſa verba negat ſibi impræſentiâ ſuccedere. Id vnum fidenter audet Blacuellus aſſeuerare, Ieremiam magis idoneum, Hugone Car-

Cardinale, quàm Papâ Bonifaciô interprete, ſenſum inueniſſe. In ſummâ, ſi ab hodierno Pontifice, contra Fidelitatis ſacramentum, aliquam acciderit Definitionem edi, is ad præteritas exceptiones addit, poſſe fieri, vt proximè futuri Pōtificis decreto ea reſcindatur: quod dùm fiat, non minùs in hâc, quàm in illâ Bonifacij Conſtitutione, hominum prudentium & doctorum exceptionibus locum eſſe. Sed de moderno (inquit) Pontifice benignior ſpes, cuius tanta vis prudentiæ *Petri Alliaci* potiùs (Cardinalis olim Cameracenſis) grauiſſimo iudicio cedet. Is in ſuo de reformatione Eccleſiæ Romanæ libello, quē patribus obtulit in Concilio Conſtantienſi conuenientibus, ad annum 1414, ita ſcribit: *In hôc* (agit autem de reformando totius Eccleſiæ corpore, præcipuè autem Romanæ) *non debet Papa aut eius Curia deliberationem Concilij reſpuere: quia* (*ſicut dicit Gloſſa, 19 diſtinct. ſuper cap.* Anaſtaſius) *Papa debet requirere conſilium Epiſcoporum, vbi agitur de fide. Quod non ſolùm intelligo de articulis fidei, ſed de arduis, tangentibus vniuerſalem ſtatum fidelis Eccleſiæ. Quod notat* Archidiaconus, 15. diſtinct. in c. Sicut: *vbi dictam gloſſam approbans addit: quòd nimis periculoſum eſſet, fidem noſtram committere arbitrio vnius hominis. Idcircò Papa in rebus nouis & arduis ad deliberationem Concilij recurrere conſueuit.* Rem verò eſſe arduam, & quæ ad communem Eccleſiæ ſalutem permagni interſit, nùm Pontifici aliquando placeat, vel generatìm rerum temporalium dominium ſuo ſibi decreto aſſumere, vel præcipuo magis edicto, Catholicos â Fidelitatis arcere ſacramento, id quidem ſe ait habere

*Petrus de Alliaco de Reformatione Eccleſ. Roman.*

bere perſpectum : & proindè huic Cardinali aſſentiri, neutrius cauſæ Definitionem, niſi deliberato conſilio, eſſe tentandam.

94 Interrogatus hîc Blacuellus, de libello quodam, qui recèns in hominum manus exierat, ſic inſcripto; *Tractatus de mitigandis, erga Catholicos Angliæ ſubditos, Regni conſilijs*; nùm facta eſſet eius libri poteſtas: nùm Comitis Sarisburienſis verba quædam, in eiuſdem Proœmio cõmemorata animaduertiſſet: nùm ad ea Authoris reſponſum conſiderâſſet: is ad omnia annuebat. Recitabantur ergò Comitis verba, ab illo Authore in hanc formam citata. * *Dolere ſe iamdiu, quòd Pontificiæ authoritatis nondùm facta ſit, per publicam aliquam, & Orthodoxam Definitionis ſententiam, dilucida explicatio, vt non ijs modò, qui Pontificis iuriſdictionem Principes agnoſcunt, à coniurationibus, aſſiduiſq; in eorum vitam impetitionibus, metus omnis & ſuſpicio eximatur, ſed qui ab eâ auerſi, benignam tamen cupiunt, de ſuis ciuibus fouere opinionem, ſcire queant, quid de eorum fidelitate & ciuili obedientiâ habeant ſibi polliceri, ſiqui de religione videbuntur ab ijs ſeparatim ſentire.*

*Tractat. ſpectans ad Mitigationem contra Thomã Morton editus Anglicè, 1607. P.R. authore.*

*Præfat. pag. 20*

95 Blacuellus poſtquàm propoſita Comitis verba, quôque ea reſponſo diluiſſet *Mitigator*, attentiùs conſiderâſſet, tandem, etſi grauatè, iudicium ſuum in hunc modum expoſuit: placere ſanè primam & tertiam eius reſponſi partem, quæ Romani Pontificis authoritatem aſtrueret eam, quæ Chriſti gregem vniuerſum, (ſine vllô humilis aut excelſi, plebis aut Principis diſcrimine) procurandum ſuſciperet: neque vt eorum modò in rebus ſpiritualibus

bus mentes instituat, mores dirigat, sed vt Ecclesiæ proprijs (Interdicti, Anathematisq;) pœnis, errantes in viam reuocet. Ad quas tamen ne temerè accedat, cautio est: sed vt iustis, necessarijsq; causis impulsus, vt debitô vsus admonendi, prçueniendi, intercedendi, artiumq; ex Canonum institutô, præuiarum reliquô ordine, non nisi vltimâ necessitudine coactus, ad hanc rationem descendat.

96 Secunda verò responsi pars, non videt quẽadmodum vel Nobilissimo Comiti, vel cuiquam sanè, in quo modò sit iudiciũ, possit satisfacere. Libri enim author, tametsi (inquit) maximè inter Canonistarũ & Theologorum scholã ea res controuertatur, » habeatne directè, an indirectè Pontifex hanc, quam » isti disputant, quam ipse breuitèr attigerat, in tẽporalibus authoritatẽ: esse tamen Ecclesiæ istiusmodi » potestatẽ prouisam, tanquã grauioribus morbis medicinã (neq; enim eius necessitati satis alioqui fore à » Christo prospectum) in eo tùm hi, tùm illi consentiunt. In quod Authoris responsum Blacuellus facilè agnouit exceptionũ æquitatem earum, quæ & iampridem sint allatæ, & dehînc fortasse afferri possint.

97 Desiderat enim Comes Honoratissimus, Romano Pontifici iuris & potestatis suæ limites, solenni Ecclesiæ decreto, liquidò definiri. Author ille contrà, minus solido respõso, partes affirmat (quarũ altera directũ Pontifici ius in tẽporalibus asserit, altera indirectum) in ipso quidẽ iure cõsentire, verùm de modo ambigere, per quem sit à Christo delegatum. At hæc (inquit Blacuellus) non satis rẽ præstãt quod fronte pollicentur, Comitis desiderium: cùm

quod inter vtramque partem præ se ferunt conuenisse Pontificis dominium, de eo palam sit, nihil dùm certi esse constitutum. *Directè* inesse Pontifici, C.Bellarminus quique ab eo stant, confidentèr abnuunt, & proin vel indirectè accedere in ordine ad spiritualia, vel prorsus deesse. Pugnat æmula sententia, & quidem fiduciâ pari, vel directam habere, vel omni carere Pontificem in temporalibus potestate. De hôc ergo iure, quâ fidê asseueratur vtrinque cõuenisse, cùm partiũ assertores pugnacissimè tueantur, vel penitùs abesse, vel, vt his placet, directũ esse, vt illis, indirectum? Huius verò loci responsum plenius ê prçcedentibus * articulis dicit esse repetendũ.

* *Sect.* 63. 68. 69. 76. 88. 90. 91.

98 Quemadmodum * superius obseruatum est, Hæreticorum loco Romano-Catholicis esse, quotquot (Euangelium cæterà licet amplexi) Primatum Pontificium Reges detestarentur: simili modo constat, Tyrannorum in numero censeri Principes omnes, etsi sint alioqui innocentissimi, etsi legum suarum modum habeant vitæ legem, etsi non alijs in sontes pœnis sæuiant, quàm quas communis sanxerit Regni consensus: siqui modò, ad superstitionis Pontificiæ luxuriem coercendam, legum in eam latarum seueritati, pro temporum ratione, eandem permittant. Quo in genere nulla est insignior vehementia, quàm eorum, qui hinc nati, atque educati, ê nobis exierunt, quorum inprimis existunt Stapletonus & G. Reginaldus, si ijs saltem authoribus debentur illi libri, *De iustâ abdicatione Henrici tertij*; et *De iustâ Reipublicæ Christianæ in Reges impios & hæreticos authoritate*. Eorum communis

* *Sect.* 42.

est

est hæc assertio : *Omnem hodie potestatem, quæ religioni* (Romanæ scil.) *aduersatur, esse tyrannidem: eosq; maximè tyrannos esse, qui Regiâ potentiâ, aà fidem hæreticam* (quam illi appellant) *subditis suis imponendam vtuntur:* eiusq; exempli Tyrannos eorum * alter appellat, Henricum 8. Edwardum 6. & Elizabetham. Ex quô fonte hi manant riuuli (idque non ex horum modò sententiâ, sed ex aliorum porrò, ê sectâ Pontificiâ, frequentium) posse huius notæ Reges omnes licitè sceptro priuari; prostare eos (si res ferat) ad cædem, etiam subditis suis, & verò ex subditis suis priuato cuilibet, si potestas erit, postquàm decreto Pontificis, vel (vt alij docent) populi edicto Tyranni sint renuntiati. Quibus rebus efficitur, vt Romanam tyrannidem, cæteramque labis Pontificiæ corruptelam exosi Principes, â Pontifice, eiusq; sacrificulis indignissimè habeãtur, nec vllâ rê magis, quàm concitatis ad perduellionem eorum subditis, idque sub speciê religionis, quâ nullum firmius esse debet fidei & obedientiæ vinculum. Ad Regis autem salutem quid interest, vtro siue tyrannidis, siue hæresis nomine, Regni sui iure (quę est scholæ Pontificiæ disciplina) dicatur excidere: cùm tàm in hôc, quàm in illo casu subditos habeat in perfidiam solutos, vt licitè queant arma in Maiestatem suam ferre, & sacratam eius personam per vim appetere. Quamobrem Blacuello dictum est incumbere, (qui subditi fidem & constantiam tàm sanctè polliceretur) vt ab istorum dogmatum contagione, quibus nihil esset Regum Maiestati funestius, iudicium suum vindicaret. Cui loco respondet Blacuellus in hunc

*De iusta abdicatione, pag 1.*

*Rossæus de iusta Reipub. Christi & pag. 106*

* *Rossæus pag 158.*

modum.

99 Si verum est (quod quidem longè habet veriſſimum) nullâ posse Pontificis sententiâ, vel Regibus imperij potestatem, vel subditis obedientiæ iugum, hæresis causâ, excuti (quod ab ipso superiùs est copiosè demonstratum:) multo (inquit) magis sequetur esse verum, nec vllo posse decreto Pontificem ita Reges in Tyrannos redigere, vt vel ijs Regni ius imminuat, vel bellum in eos mouendi, aut vim inferendi, illorum subditis immunitatem præstet.

100 Scire se, de *Tyrannis* quæ sint multorum sententiæ, quarum (inquit) mentio non erit præsentis instituti. Se tamen, quicquid alij senserint, in hâc esse opinione: Regem neminem, qui ex legum constitutarum arbitrio rem administrat publicam, qui populum non oppressionis, non rapinæ, non sæuitiæ vllo genere, non noui exempli oneribus imperatis, non aliquâ iniustâ ratione affligit, sed legibus suis exequendis (quod exigit iustitiæ ratio) nonnunquam dat locum, & auitis tantùm vtitur sceptri sui iuribus, verè posse in Tyrannorum numerum referri, tametsi earum legum nonnullæ in Catholicos grauiùs statuant, & quam ipse colit, religioni promouendæ seruiant: cùm in Imperatoribus reperti sint, qui Christiani nominis hostes fuerint capitales, ijdem Reipublicæ gerendæ, imperijque sui propagandi, cum summo populi in rebus ciuilibus beneficio, authores egregij.

101 Præterea fieri non posse, nec tyrannidis vel maximè causâ prætensâ, vt fas sit, Regum cuilibet,

bet, qui sanguinis iure in regni hæreditatem succedit, vel sceptrum adimi, vel vim â suis fieri, siue id apertâ fiat acie, siue insidijs clandestinis, perfidisque eorum, seu frequentium, seu paucorum, vel vnius tantùm consilijs. Se denique (quod ad hunc locum spectat, de Regibus in Tyrannorum classe censendis, tractandisque, vt suprà) *Blacuodæo* prorsus assentiri; qui in huius argumenti diuersa Buchanani placita, totidem seditionis stimulos, inuectus, insequẽtes hasce assertiones solidis rationum firmamentis probat.

102 Regiæ potestatis particulam vllam, citra Maiestatis crimen, neminem sibi posse, nisi â Rege mandatam, arrogare: eâque adeò delegatâ, ita quemque vti oportere, quamadmodum, & quatenùs â Rege vltrò sit permissũ. Reges nostros nihil acceptum populo ferre, sed Deo, â quô potestas omnis & imperium: eique soli teneri rationem reddere sui muneris & officij, vt qui Regna sua iure hæreditario obtineant: ità vt statim priore defuncto, hæres succedat proximus: cùm nullâ inaugurationis, aut alterius ceremoniæ accessione, ad eius ius quicquam addatur. Iuramentum illud, quô se inaugurati obstringunt, *non populo sed Deo præstitum*, nullô modô eorum ius ex sanguine quæsitum vitiare. *Blacuodæi Apol. pro Regibus. pag. 56.* „ „ *pag. 106.* „ „ „ „ *pag. 178.* „ *pag. 221.* *pag. 224.* „ *pag. 211. &c.*

103 Cùm Ordinum conuentus (ex Clero vtique, Proceribusque, & plebe conflatus) Regis iussu citra lęsæ Maiestatis notam (ex vetustis Regni legibus) agi non liceat: eorumque consilia ita demùm rata sint, si Principis opinione laudantur: neq; â Rege dimissos, fas sit deinceps conuenire: perspicuum *pag. 217.* „ „ „ „ „

„ cuum esse, nullam ijs potestatem esse, aut Regem
„ habendi pro tyranno, aut loco mouendi: multò eti-
„ am minùs licere priuatis hominibus, natiuis suis
„ subditis, sub quolibet prætextu, aut causæ simulati-
pag.213. one in eum arma sumere. In trium Ordinum Co-
„ mitijs, qui Reginam Scotorum imperio priuârunt,
„ vix alios, *quàm tres latrones, tres patriæ proditores, tres*
„ *impios parricidas, cum suis asseclis, interfuisse, monstri*
„ *triformis quàm simillimos, leoninô capite ignem vo-*
„ *mente, caprinô ventre, & caudâ draconem referente.*

104 His ex eôdem Blacuodæo adiungit, quod in huius Quæstionis vestibulo alijs verbis â se traditum, Theologica esse queat istius loci conclusio:
pag.241. *Quotquot* (inquit) *institutô Christi vixerunt, nunquam ne tyrannorum quidem refugerunt imperia, nedùm ijs armatâ vi restiterunt: in eo principem suum sequuti, qui quanquàm multis Angelorum legionibus, populi, Pontificum, & Pilati præsidis obstare potuisset iniurijs, se ipse tamen neci obtulit, vt morte firmaret, quod in vita docuerat: lenitèr & placidè ferendam, non*
pag.242. *vi repellendam esse iniuriam.* Rursus. *Paulus, simulatq; Christianæ militiæ nomẽ dedit, seditiosô & sanguinariô spiritu in pacis & quietis studium mutatô, Agrippam, Felicem, & Lysiam Proconsules Romanos, quanquam impios & Christo rebelles, officij ratione veneratus est, vt doctrinam suam exemplo vitæ sanciret.* Plura afferre possit similis argumenti, vt (quod omni ratione contendit) ab eorum cõmentis, quos ista notat obiectio, iudicij sui integritatem doceat: verùm solam Catharini mentionem, in 13. ad *Romanos*, superioribus adiunctam, huic rei satis sperat futuram.

*Ambros. Catharin. in. 13. ad Romanos.*

105 Ani-

105 Animaduersum est, Blacuellum, cùm de Sect. 6. indirectô Pontificis in rebus ciuilibus dominio paulo antè sermo esset, *indirecti* voce vtentem, alia admiscere eiusdem potestatis vocabula, *per accidens* scilicet, & *per quandam consequentiam: casualiter* autem ne adderet, recusare: simul obiter insinuâsse, nullam Pontifici intrinsecam esse *directè*, *vel indirectè in ordine ad spiritualia*, *per accidens*, *aut per modum consequentiæ*, in temporalibus potestatem; siquam verò habeat, eam *casualiter* tantùm obtinere. Cui voci quòd is possit subesse sensus, vt quæ, in officij sui & fidelis in Regem obsequij prædicationem, hactenùs sit professus, omnia in nihilum exeant; placuit, ab eo requiri vehementiùs, vt quid istîc lateret arcani, syncerè & cum fide expromeret. Latronum nulla est domos compilandi, nulla grassandi in viatores potestas ordinaria: sæpiùs tamen fert *casus*, vt vtrumq possint, cùm vel ædes non adeò munitas, vel siquos parùm comitatos in viâ oppresserint. Simili argutiâ obiectum est, posse Blacuellum in hâc Pontificis causâ elabi, vt tùm eum statuat, Reges sedibus suis amouẽdi, ijsq; accipiendi modis, de quibus cauet Fidelitatis iuramentum, legitimam potestatem habere, quoties opportunitas *casu* orietur, vt suis aut alienis viribus, vel occultis ministrorum suorum technis, vbi Reges maximè possit oscitantes & imparatos ad resistendum opprimere, eorum perniciem queant machinari. Quod quid aliud est, quàm si Papam dixerint in Machiauelli ludo doctum ad malitiam esse: qui nunc leoninâ, interdum vulpinâ pelle indutus, in Regum inimicorum exitium perennibus

ennibus incumbat insidijs, eosdem prædæ loco deuoraturus, sicubi aptam perficiendis eius consilijs facultatem *casus* attulerit.

106 Blacuellus: absit (inquit) absit, vt mens mea vel cogitationis in Maiestatem suam tàm impiæ sit vnquam conscia, vel ex eius verbi latebrâ istiusmodi subterfugium sibi captet. Sed nec ea erunt Pontificis (spero) consilia (quod hôc loco præterire non debui) vt Leonis vel vulpis reprehensionem, à Maiestatis suæ subditis mereantur. Cæterùm ad *Casualis* illius vim exprimendam reuocatus, postquàm varias eò appetentes circumstantias, quas sequentia indicant responsa, multo sermone disceptâsset, tandem sic instituit.

107 Authoribus variam esse eius dicti notionem, eamq; inter cæteras, quæ nec iniuriâ istam obiectionem pariat. Directum in temporalibus qui Pontifici dominium tribuunt, id eius personæ (cùm sit Christi vicarius) nõ minùs quàm ipsum in spiritualibus Primatum, rê atque actu volunt inhærere: quanquàm eius vsum excipiunt, extra Petri patrimonium, non esse nisi *casualem*. Qui contrà, directam Pontifici in temporalibus authoritatem, abnuentes, indirectam in ordine ad spiritualia tantùm assentiuntur: ij, vt præter *indirectè*, *per accidens*, *& per modum consequentiæ*, alijs etiam vocabulis eandem rem exprimunt, vt Pontificem dicant *incidenter*, *secundùm quid*, *secundariò*, *per consequutionem*, *& accessoriè* eius dominij esse compotem: ita cùm extra Ecclesiæ patrimonium eiusdem vsum contigerit proferri, id *casu* fieri similitèr distinguunt.

Hæc

Hæc res tota ex Celso Mancino, illius sententiæ assertore, quæ inhærentem Papæ astruit in temporalibus authoritatem, patebit manifestiùs, cuius hanc Blacuellus agnoscit esse sententiam.

108 *Iurisdictio Papæ* (inquit) *accipi potest, vel potestate vel actu: & actu adhuc dupliciter, vel ordinariè vel casualiter. Si Papæ authoritas & iurisdictio accipiatur potestate, totum complectitur orbem; si accipiatur actu, non ordinariè sed casualiter, cùm duntaxat in orbe Christiano habet vsum, tanta erit dicenda, quantus est orbis Christianus, ordinariè verò tanta est, quantum est Beati Petri patrimonium.* Rursùs, vbi de amplâ hâc & Regiâ potestate agit, quam Papæ insitam esse volunt, eam dicit *in primis nascentis Ecclesiæ Pontificibus latuisse, quoad vinea Domini altas egisset radices, sponsaq; Domini, cui mammæ non erant, adoleuisset: eamq; interim potestatem, per trecentos & quinquaginta annos, in martyrio & sanguine iacuisse, quoad Ecclesiæ fundamenta iacta essent, erectiq; parietes, tum demum in Beato Syluestro, eiusq; successoribus enituisse.* Simul verò addit; *actualis illius & casualis authoritatis ac iurisdictionis vsum in Pontifice angustum esse. Si enim* (inquit) *rerum cælestium curam consideremus, Pontifex cælestibus occupatus, terrenis vix potest esse intentus: in Regibus & Imperatoribus vsus huius potestatis magis est latus: quoniam illorum fines non sunt res cælestes, sed terrenæ. Illorum tamen gladij ad Pontificis nutum sunt euaginandi, quia est dominus totius orbis Christiani, cuius iurisdictioni cæteræ subijciuntur, & ad illam, tanquam ad primam, referuntur.* Atque aliô quôdam in locô: *Cùm & particularis*

*Celsius Mancinus de iuribus Principat. lib. 3. cap. 6. pag. 94.*

*Idem ibidem. pag. 89.*

*Idem ibidem.*

*Idem pag. 98.*

*Ibidem.*

Idem pag. 105 & 106. *ticularis & vniuersalis iustitiæ conseruatio ad Papæ munus pertineat; quãdoquidem rebus terrenis non potest attendere, ne minoribus intentus cælestia relinquat: idem sequutus est consilium de Imperatoribus, Regibus, & Principibus sibi in subsidium asciscendis, quod Iethro Mosen docuit: quô Moses vsus, Iudices constituit ad temporalia tractanda, vt ipse liberiùs spiritualibus vacaret: ita tamen vt eorum errores corrigendi & excessus dijudicandi, siquando causa postularet, potestatem in se retineret. Licet enim liberi sint in propriis ditionibus Principes, & liberè possint exercere propriam authoritatem; habent tamen* (inquit) *certos terminos & limites, quos non licet transilire. Qui si metrum excesserint, & lineam transilierint, tùm vicarij Christi partes sunt, in quô est apex vtriusq; authoritatis, causas cognoscere, & remedium adhibere. In negotijs itaque difficilioribus & summi ponderis Appellatur à Regibus ad Papam vbi vî ius nostrum pessundari videmus; tunc enim ad supremum Iudicem confugiendum est, cuius officium est eiusmodi causas iudicare.*

Idem pag. 98

Idem pag. 120.

109 Expositâ in hunc modum eorum summâ, quæ à Mancino copiosè, adhibitâq; scriptorum, de intrinsecô Pontificis dominiô, consentientium authoritate, variè disputantur: facilè (inquit) eius elucebit & cæterorum opinio, quem fortuitum & *casualem* statuant directæ istius in temporalibus per terrarum orbem, potestatis vsum. Quam eorum sententiam fatetur esse huiusmodi: Imperatores, Regesq; in genere omnes, eô Pontifici locô esse (vt cuius beneficio imperij fasces debeãt) quô Mosi Iudices, cæteriq; Magistratus essent, eius beneficiarij. Si-

quô

quô ergo *casu* acciderit, consultum videri Pontifici, vt Regem quemlibet imperiô, subditos fidê abdicet, vt armis eum opprimendi (quippe qui iam abdicatus, Regni ius amiserit) licentiam illis permittat, imò vim Anathematis adhibeat: vel siquem præterea à Regum videbitur ex subditorum prouocationibus, ad se, tanquam supremum Iudicem, iniustitiæ delatũ, aliquô castigationis genere admonere officij sui, isque nihilo seciùs persistat in iniuriâ: tùm verò non minùs in eiusmodi Reges & Principes ius esse Pontifici, quæ visa sunt, statuere, quàm Mosi in suos Iudices, quos reipublicæ administrandæ causâ, adiutores sibi summiserat. Quòd si Reges Pontificis sententiâ in hunc modum abdicati, proiectis fascibus & depositô imperiô, Regni procuratione minimè abeant: si illorum subditi (quicquid Papa præceperit) arma tamen abstineant, sanctam eorum habeant obedientiam, retineantq; pristinam obseruantiæ & officij religionem: vel si alterum illud genus, â quibus ad Pontificem prouocatum erit, spretô Papæ imperiô, adeò non abscedant ab iniuriâ, vt illorum cõtumaciâ victus Pontifex, ad hæc vltima in eos cõsilia necesse habeat descendere: in hisce & huiusmodi casibus (ex Mancini, & aliorum sententiâ) *Papa cùm sit summus Pontifex & Christi vicarius, regiâq; fulgeat dignitate, certè poterit pro arbitratu suo, mouere arma, bellum indicere, populumq; ad prælia euocare.* Quin & generatim illis receptum est, Cæsaris, omniumque, qui Christum profitentur, Regum ac Principum in officio esse, nutu & arbitrio Pontificis, gladios suos distringere, viribusq; & copijs omnibus

*Mancin. lib. 2. pag. 232.*

nibus eniti, vt ad effrænatos hoſce Reges opprimendos, & transferenda eorum Regna, cuncta Pontificis imperata fiant.

110 Interrogatum hîc eſt: quid demum interhorum ſententiam intereſſet, qui Principes ſic tractandi authoritatẽ Pontifici arrogant ex directô in temporalibus dominiô, ſed *caſuali* (in caſibus nimirum prædictis) acquiſitam: & eorum, qui vt ordinariam illi negent, concedunt tamen (quod ſæpiùs dictum eſt) indirectam Reges deponendi, & Regna transferendi poteſtatem, quam *in ordine ad ſpiritualia, per accidens, per quandam conſequentiam, incidenter, ſecundùm quid, ſecundariò, per conſecutionem, acceſſoriè, & caſualiter* (id eſt in caſibus ſupra memoratis) variô nomine, diſtinguunt. Reſpondit Blacuellus, quoad vtriuſque partis opinionem, de *caſuali* Pontificis iure ad Principum contumaciam (prout dictum ſit) vindicandam, nihil eos planè differre, niſi quod his placet, illud Pontifici, vt Chriſti vicario, inhærere, quod reliqui negant, ita tamen, vt quamuis non inſitam, at indirectam, & per modum conſequentiæ, hanc eandem Papæ authoritatem aſſentiantur. Eiuſque indirectæ poteſtatis rationem reddunt; quòd Reges & Principes omnes, qui per Baptiſmum Chriſto nomen dederint, implicitâ dicant ſponſione recipere, ſe Eccleſiæ cauſam ſuſcepturos, obtemperaturos Pontificis authoritati, eiuſq; nutu omnem Catholicæ religionis hoſtibus opprimendis operam daturos. Adeò vt Bellarminus ipſe, quô capite Pontificis diſputat authoritatem, quam in temporalibus *caſu* & incidentèr exercet, etſi Papam

pam fateatur, *non posse, vt Papam, ordinariâ potestate, Reges etiam iustâ de causâ deponere*, subiungat tamen, *posse eum regna mutare, & ab alijs in alios transferre, non quâ Princeps sit Ecclesiæ politicus, sed quâ summus Princeps spiritualis*, siquem fortè Principum comperiet religionis obstare progressibus,& pernicioſa animarum saluti consilia ineuntem, non aliâ ratione ad sanitatem iri reuocatûm.

111 Hæc Blacuelli declaratio, ex luculentioribus, quàm vt dissimulari possent, authorum locis collecta, ansam præbuit percontandi; quam ea vim haberent, quidnè de eisdem iudicij esset sui. Respondit Blacuellus,se,quod in eam partem satis iudicaret,non semel testatum esse: Nullam ex iure diuino Pontifici datam, siue inhærentem, siue incidentem,directam,aut indirectam,spiritualem,temporalem, mixtam, vel cuius cuius tituli potestatem, vt hæresis,apostasiæ, vel cuiuscunque rei causâ, Principibus imperium suum, aut subditis obsequium licitè possit intercipere,eosdem ad seditionem animo paratos authoritate suâ armare,inuitos Anathematis pœnâ cogere,siqui hęc perfida,seditiosa,& proditoria exosi consilia, in fidê & obsequio nihilo persistant tardiùs, quicquid contrà Pontifex contenderit, pristinos hosce eorum Reges, ipsius iam sententiâ imperio abire iussos,non esse ampliùs Regum loco, aut quibuscunque illecebrarum vel argumentorum machinis eorundem possit fidem & constantiam experiri. Quinetiam merum sibi videri,& præter Scriptûræ Canonem,commentum esse eorum, qui

cuiuslibet iurisdictionis siue potentialis, siue actualis, ordinariæ, vel fortuitæ prætextu, hasce rationes affirmat in Principes, aut eorum subditos Pontifici licere: qui Regum, & Monarcharum sceptra Pontifici referunt accepta: qui non aliô eos numerô statuunt esse Pontifici, quàm quô Mosi, fiduciarios illos Magistratus, qui eius auspicijs ius Israelitis dicebãt: qui denique vllâ causæ aut temporis conditione, Pontifici, *vt Christi vicario*, & Petri successori, ius in Principes pollicentur, nisi quod ex eorum salute sit, & Catholicæ fidei propagatione: idque non nisi præmissâ admonitionis, suasionis, & salutaris consilij medicinâ: quô genere si minùs profecerit, tùm vt ad extremum confugiat spiritualis gladij Clauiumque, nec vltrà, remedium: neque id quidem temerè, nisi cùm eam rationem perspectam habuerit, verè & re ipsâ saluti, non exitio futuram: neque verti Catholicis posse in capitum vel fortunarum iacturam aut discrimen. Hunc modum quæ excesserint Pontificis, vt supremi Pastoris, in Reges & Principes facta, ea se dicit omnia & improbare iudicio suo, & intimo animi voto deprecari.

112 Agnouerat paulò antè Blacuellus, esse vbi Pontifici *casualiter* obueniat, temporalis, vel Petri extra patrimonium (etsi non intrinseca) iurisdictio. Eius dicti admonitus, & quid hînc vellet, interrogatus, respondet, hanc sibi eius loci sententiam esse: Nimirum inter Reges, principisque Maiestatis personas, siquas acciderit lites & querelas nasci, quarum desperatâ inter ipsos gratiâ, vtrînque placeat, vt summus Pontifex, cui in rebus Ecclesiæ parent, de eis-

dem

dem arbitretur: posse hôc in casu Pontificem, pacis & amicitiæ conciliandæ causâ, istiusmodi controuersias, etsi alioqui fori merè ciuilis, vt arbitrum honorarium iudicare, Cui etiam potestati locum esse, sicui Regi, Principi, & sublimiori personæ animus erit, vt in difficili aliquo negotio firmiorem consilijs suis viam muniat, Pontificis in eo ambire suffragiũ. Vt exemplo res pateat: Rex quidam Francorum, cùm solutô priore coniugiô, ex secundô thalamô liberos suscepisset, metueretque ne filio suo ea res â Regni hæreditate obesset: egit cum Pontifice diligenter, vti liberos suos iuberet esse legitimos. Assensus Papa, rem confecit: cùm tamen Regni ius propriè in forum Pontificis non cadat, sed iure fortuito, vt in hâc Regis causâ, qui quod solus poterat (nec requisitâ Pontificis ope) transegisse, maluit tamen ad Pontificem referre: quoniã accedente Romanæ Sedis authoritate, quod communi sententiâ constituerant, plus videretur ponderis in vulgus habiturum

*Decretal. lib. 4. tit. 17. Qui filij sint legitimi.*

113 Clariùs hunc locum illustrant, in Nobilis cuiusdam Montepessulani consimili negotio, verba Innocentij. Is cùm pari modô abdicatâ coniuge, liberos ex nouâ copulâ procreâsset, Francorum Regis exemplô, ne filijs suis, quô minùs sibi succederent) *natalium exceptio noceret*, à Pontifice contendit, vt eosdem legitimô thorô natos pronuntiaret. Innocentius rem omninò repulit; eiusque facti, inter cæteras, has affert rationes. Regem in causis ciuilibus, nullius in se dominium agnoscere: hunc ditioni subditum alienæ: Posse Regẽ, sine cuiusquam iniuriâ,

*Ibidem & in Glossa.*

iniuriâ, Pontificis arbitrio se subijcere: hunc nobilem non perinde. In Regis causâ, vt ratum fieret, quod decreuisset Pontifex, nullius assensum requiri: huic frustrà futurum, si illius sobolem legitimam Papa scripsisset, nisi & Regis aut domini, in cuius esset clientelâ, consensus accederet. Penes Regem esse, in Pontificis iurisdictionem hâc in causâ se tradere: penes hunc, non item. Denique esse sententias, quæ Regem arbitrarentur, iure propriô, etiam non aditô Pontifice, sobolem suam posse iustam & legitimam appellâsse. In Regis ergo & Montepessulani negotio, quid simile? Sed operæpretium (inquit) erit audire ipsum Innocentium. *Insuper cùm Rex superiorem in temporalibus minimè recognoscat, sine iuris alterius læsione, in eô se iurisdictioni nostræ subijcere potuit, in quô videretur aliquibus, quòd per seipsum (non tanquam pater cum filijs, sed tanquam Princeps cum subditis) potuit dispensare: tu autem noscens alijs subiacere, vnde sine ipsorum forsan iniuriâ, nisi præstarent nobis assensum, in hôc subdere te non posses.* Atque hanc demùm statuit Blacuellus esse *fortuitam* illam potestatem, quâ Pontifici ius sit, in alienis ditionibus, etiam extra Petri patrimonium, de rebus cognoscere merè ciuilibus, quæque ad ipsum, non vt Christi vicarium, sed vt abitrum communi partium assensu constitutum pertineant.

*Ibidem.* Per venerabilem. *Et citatur à Bellarmino de Rom. Pont lib.5.cap.3.*

114 Cæterùm hîc postulatum est, vt vlteriùs paulò sententiam suam patefaceret: nùm proinde Regum Christianorum subditis fas esse duceret, causas ciuiles, in quibus vel Regni publica, vel priuata Principis res ageretur, non exquisitâ Regis sententiâ,

tiâ, ad Pontificis arbitrium ausu priuatô referre. Id enim nonnullis ita placere (vti partim ex Mancino sit ostensum) vbi ciues legitimum iuris ordinem intercludi sibi sentiunt, vel eam rationem ex vsu Reipublicæ maximè putant futuram. Varia hûc afferri exempla: nec vllum insignius, quàm quod olim in Regem suum Francos legimus statuisse. *Hilderic us* Francorũ Rex, cùm Regni clauum iamdiu putaretur tractare omissiùs, *Pepinus*q; Republicâ sub eô optimè gestâ, omnium in se studia conuertisset: factum est, vt Regni proceres, qui depositô Hilderico, Pepinum omnibus modis volebant suffectum, cùm id intelligerent ad rationes suas (vt secundâ tùm populi, tùm Cleri voluntate, quod cupiebant, efficerent) maximè pertinere, si Romanum Pontificem (cuius per id tempus occidentem impleuerat authoritas) facti haberent adiutorem; ad Zachariam Papam legatos mitterent, consultûm, vter Regni fastigiô videretur dignior, *qui torperet otiô, an qui diei æstum sustineret.* Respondit Papa, hunc sibi videri Regno potiorem. Quô factô, Nobilitas omnis, submotô Hildericô, communibus votis Pepinum Regem salutârunt.

*Ioh Maior dist. 24. quæst. 3. apud Gersonem.*

115 Cùm itaque ex hôc Francorum exemplô, fortuita Pontificum in rebus ciuilibus iurisdictio, pristinisq; abdicatis, Regum nouorum substitutio vulgò astruatur: ea adeò si Blacuelli mens sit, Pontificem istiusmodi fretum ab alterâ partium factis, alterâ non iubente, causarum compromissionibus (neque enim credibile esse Hildericum ius suum Pontificis arbitrio permisisse, sibi-nè an subditorum vni

mallet Regni sui fasces tradi) *casualiter* posse, negotijs ciuilibus, vt arbitrum, se immiscere, dictum est hanc eius sententiam, de *casuali* Pontificis in temporalibus imperio, quæ suprà professus sit omnia non labefactatûm modò, sed & prorsus euersûm ire. Restare ergo, vt huic ambiguitati expediendæ det operam.

116 Blacuellus hunc scrupulum ait (si apertè â se tradita Innocentij ad Nobilem illum Montepessulanum responsio attendatur) planè esse superuacaneum. Insolentem enim & noui generis esse istam alterius partis, alterâ non vocatâ, rerum controuersarum compromissionem. Quamobrem non magis statuit Pontifici ius esse, in ciuiles Principum causas (siquæ hôc exemplô ad ipsum deferantur) eorum iniussu, arbitrum se & disceptatorem interponere, quàm Nobilis illius prolem legitimam renuntiâsse; quod sui iuris esse, Innocentium paulò antè audiuimus inficiari. De illo autem Hilderici abdicati exemplô, Iohannis de Parisijs, Iohannis Maioris, Iacobi Almain, & Adami Blacuodæi, aliorumque complurium iudicium & authoritatem sequitur, qui factum illud arguunt *iniustum esse; Pontificem iniuriæ consensisse, minimè ignarum, rem esse exemplo perniciosam, populo fræna laxare, vt alienæ gentis hominem, cum legitimi Principis iniuriâ, sibi præficeret: factum illud vnicum esse, nec debere propterea vim legis obtinere: vitam ex præceptis instituendam, non exemplis; neque tam quid fiat, quàm quid iure fiat, spectandum.*

*Blacuodæus Apolog pag. 201. & 202.*

117 Galliæ Proceres ad Pontificem rem retu-

*Io. Maior. in*

lisse,

liſſe, quòd Academiæ Pariſienſis nondum florebat authoritas, cuius alioqui iudicio contentos (id enim videtur dicere) non abituros longiùs. Deinde, quòd Zacharias Hildericum proditur regno abdicâſſe, id hanc vim habere, *fuiſſe eum cauſam fortaſſe motiuam, cur eum Galliæ nobilitas abdicaret. Porrò ex factis ſingularibus, quæ ex deuotione ad Eccleſiam, & non ex debito iuris fiunt, non eſſe trahendum aliquid in conſequentiam*, quemadmodum nec ex compluribus alijs; vt vbi Imperatores creârint Pontifices Maximos, aut eoſdem ſimiliter abdicârint: vel quòd multi Epiſcopi (vt ex Eccleſiæ Commentarijs conſtat) apud Conſtantinum Magnum ſuas querelas depoſuerint, à quibus tamen nullum ſumi poſſit argumentum.

*lib. 4. ſentent. diſtinct. 24. quæſt. 3. apud Gerſonem.*

118 Canonem *Alius*, diſtinct. 15. quæſt. 6. vbi dicitur Zacharias Papa depoſuiſſe Regem Francorum, & inſtituiſſe Pepinum patrem Caroli, ſic eſſe intelligendum: *Zacharias depoſuit Regem, id eſt, deponentibus conſenſit.* Deinde, per id tempus nondum extitiſſe Academiam Pariſienſem, quę Caroli Magni temporibus pòſt eſſet fundata: vnde effectum ſit, vt propter hominum doctorum in Francia paucitatem, ad Papam recurreretur: Hâc itaque ratione *depoſuiſſe, id eſt, conſenſiſſe, vt ij poſſent deponere*, authoritatiuè verò nequaquam.

*Iacob. Almain de poteſtate Eccleſ. & Laica. quæſt. 2. cap. 8. Magna gloſſa, Can. Alius, diſtinct. 15. quæſt. 6.*

119 Zachariam Papam nuſquam legi depoſuiſſe Regem Franciæ, niſi ſic exponatur: *depoſuit, id eſt, deponentibus conſenſit: nec verò oportere ex ſingularibus iſtiuſmodi factis, quæ interdum ex deuotione ad Eccleſiam, vel perſonam, vel ex gratiâ, aut aliâ cauſâ, & non ex debito iuris fiunt, argumenta ſumi*: cum legatur

*Ioh. de Pariſ. de poteſtate Regiâ & Papali cap. 15.*

« in ijsdem historijs, Bonifacium â Phocâ Imperatore « obtinuisse, vt Ecclesia Romana caput esset omnium « Ecclesiarum, quòd Constantinopolitana se primam « scriberet: hînc itaque consimili ratione concludi « posse, Imperatoriæ potestatis esse, Primatum Eccle- « siæ transferre. Similiter cùm Constantinus Impera- « tor (vt apud Isidorum est) decreuerit, vt in quatuor « præcipuæ dignitatis sedes, Antiochensem, Alexan- « drinam, Constantinopolitanam, & Hierosolymita- « nam Roma principatum obtineret: *nùm propterea* « (inquit) *dicemus, Ecclesiam Romanam ab Imperatori- « bus habere Primatum Ecclesiarum, earúmque dispositi- « onem? Absit.* Hisce rebus expositis, Blacuellus cõclu- dit, istam Hilderici Regis abdicationem sententiæ suæ nequaquam obstare, quîn Papæ liceat, etiam in causis temporalibus, fortuitâ iurisdictione vti, siquæ
*Sect.* 113. ad ipsius arbitrium legitimo more (vt* suprà) fuerint compromissæ.

120 Reuocata hîc est Blacuelli vox quædam, ex Sectione 113, vbi dum Pontifici negat, *vt Christi vicario*, aliam in temporalibus, quàm quæ modò audita sit, casualiter esse potestatem; id visus sit tectiùs dicere, esse tamen, vbi istę Pontificum in Principes, eorumque subditos aliquotiès commemoratæ actiones, iustæ possint, & legitimæ reddi. Eamque
* *Sect.* 109. hinc augeri coniecturam, quòd Mancini * locum quendam, qui Romano Pontifici, ad arma mouenda, & indicendum bellum, ius & authoritatem assereret, sine responsô tacitum præterijsset,

121 Cui vt satis dubitationi fiat, respondet Blacuellus, non minùs sibi iustam videri Pontificum, quàm

quàm Regum vel Rerumpublicarum, intra ditionum ſuarum fines, quas, vt politici Principes, obtinent, belli ſuſcipiendi poteſtatem: vt neceſſariò impulſi, ſubditos ſuos, vel rebelles & immorigeros cogant in ordinem, vel exterorum Principum iniurijs oppreſſos, tegant ac conſeruent. Quam quidem ſententiam, eamque in genere omnem, quam continẽt antegreſſa ipſius reſponſa, quibus nullam prorsùs agnoſcit conditionem poteſtatis Pontificiæ (ſiue ordinariæ, quâ ſit Papa, ſiue adſpiritualia ordinatę, quâ ſummus Princeps ſpiritualis) cuius præſidio Regibus queat ſua ſceptra abiudicare, ſubditis fidelitatis votum remittere, præclarè confirmat Iacobi Gretzeri (ſi rectè eam interpretatur) illa ſententia: *Cogit Pontifex Romanus pœnis externis ſpiritualibus, vt Excommunicatione: item pœnis externis temporalibus & corporalibus, quâ & ipſe eſt Princeps politicus, & quâ Principum politicorum opẽ implorare poteſt, vt hæreticorũ petulantiã & licentiã pœnis temporalibus compeſcant.* *Gretzerus defenſ. controuer. Bellar. colum. 1404.*

122 Sed & Cardinalis Alani reſponſum exiſtimat ad facti Pontificij reprehenſores, quòd annum circiter 1580 militum exiguam manum in Hiberniam ad Comitem Deſmondium ſubſidio miſiſſet, eius conſilij rationem politicè conſideratam, probâſſe, his ferè verbis: *Eccleſiæ Chriſti Pontifices, ſupremi in terrâ Paſtores noſtri, diuinâ quâdam prouidentiâ, primorúmque Regum & Imperatorum Chriſtianorum donatione, ac populi deinceps fidelis Principúmque zelô, ac pietate, temporales ſuas ditiones & patrimonia iuſtiſſimè poſſident: earúmque vi legitimi fiunt Principes politici, & ſupremi Principatus iure, iuſtíſque tum ſuis,* *Cardinalis Alanus contrà iuſtitiam Britan. Latin verſion. fol. 361.*

*tum aliorum in cauſis (prout requirent tempora) bellum mouere poſſant.*

123 Ex pluribus hîc proximè traditis factum eſt, vt à Blacuello requireretur, primò, nùm Pontificem iudicaret legitimè poſſe Regibus, qui Catholici vſurpantur, aduerſus finitimos Principes, quos in hæreticis habeat, pro ipſius iure & arbitrio, arma indicere, *vt pœnis eos ciuilibus coerceat.* Abſonum enim videri poſſe, ſiquis Petro ſomniet, id negotij â Chriſto datum, vt in religionis gratiam Reges inuicèm bello committeret: Nonnullam forſan præferre æquitatis ſpeciem, ſi Principes Pontificis Primatum aliaſque Papiſmi corruptelas auerſati, in Regum aliorum fines copias ſuas ideò tranſmittant, vt exactô Pontificis dominatu, reformatæ religionis cultum eôdem inuehant: hôc in caſu Pontifici vt liceat, Reges accolas infeſtis eorum conatibus armatos opponere. Qui verò, non niſi de publico Ordinum tàm Eccleſiaſticorum, quàm Laicorum conſilio, quæ ex rê communi viſa erunt, intra ditiones ſuas conſtituunt, eôque contenti non quærunt ampliùs: in illos vt fas ſit Pontifici, aut cuiuis perſonæ Eccleſiaſticæ bellum ciere, eoſq; domi ſuæ inuadendi causâ, Reges propinquos immittere: eam equidem opinionem haud vllâ vel Euangelij authoritate confidere, vel temporum eorum exemplô, quæ per complures Eccleſiæ ætates optima & puriſſima manârunt: ſed & priſtinam Blacuelli ſententiam planè eludere. Si enim Regnis & Imperijs nec *in fidê* nec *in gratiâ* conſiſtat fundamentum: dici quî poterit, earum oppugnatione ſtatum Regnorum concuti?

Equidem

Equidē, quotquot in negotijs ſpiritualibus Pontificis iuriſdictioni Principes ſe mancipârunt : ij videri fortaſſe poterunt, illius in hôc genere mãdatis & imperijs quibuſcunq; obnoxij. Æquũ verò vt ſit & iuſtum Pontificis imperium, Reges pro libidine in aciem prouocare, vt Martis aleę Regna ſua ſubijciant, ac Chriſtiani populi, ſiue ſui, ſiue alieni ſanguinem prodigant, non minùs barbarum eſſe quàm impium opinionis commentum.

124 Reſpondit Blacuellus, ſe ad ſingula ſic ſtatuere : Chriſtiani cuiuſq; Principis officium eſſe, Catholicæ fidei propagandæ, & ab oppreſſorũ iniurijs (nec expectatô Pontificis iuſſu) vindicandæ, omnibus rebus inſeruire. Huius tamen officij modum proprijs cuiuſq; finibus terminari, vt in ijs tantùm religionem (vbi vſus erit) tueantur : nec idem eos impetus armatos abripiat in aliorum Regna, qui ſuis ſe finibus continentes, non vltrà ſtudent propinquas Eccleſias, â ſuis ſacris armis deterritas, ad ipſorum Confeſſionem ſubigere. Quin Regum Catholicorũ eſſe, alienos â Pontifice Principes, ſuaſu, conſilio, omnibuſq; pijs artibus tentare, vt ad Pontificij imperij beneuolentiam traducant. Rem verò ad arma deducere, peruertere ad belli inteſtini, aut defectionis perfidiam ſubditorum animos, in Principum illorum fortunas incendium excitare, eorumq; aut capiti aut Coronæ conflare periculum, id verò Blacuellus nefarium eſſe iudicat. Sed nec ſe ait perſpicere, qui inſitam in temporalibus authoritatem, extra Petri patrimonium, Romano Pontifici minimè aſſentiatur : qui faſces Regios Pontificiæ Sedi

neget

neget deberi: quô iure (nisi precariô dixerint) id sibi prærogatiuæ (quâ Princeps vel spiritualis vel politicus) Papa assumat, vt (extra casus modò exceptos) Regum enses in potestate habeat, pro suô nutu educendos, vel quâ tandem Baptismatis sui lege teneantur Principes, Pontificis eô in genere imperatis obsequi.

125 Cæterùm, si vel maximè concedatur, quod scribit Alanus, (id est enim proximè Blacuello obiectum) non iniustum Papæ factum illud, vt politici Principis, fuisse, de copijs in Hiberniam transmittendis; legitimamque esse Pontifici, arbitratû suô, belli Regibus inferendi potestatem: conuenire tamen, vt pro suâ in Regiam Maiestatem obseruantiâ, disertè respondeat, nùm proinde, cùm Principis Laici personâ indutâ, Pontifici lubet prodire in aciem, eidem, eiusuè emissarijs censeat, ê Scripturarum authoritate, licere, Regum aduersariorũ subditos ita sollicitare: vt quòd in Protestantibus (quam vim hodie obtinuit eius verbi consuetudo) nomen profiteantur suum, & excusô Papatu, in religionem transierint reformatam, adeòque â crassis vindicatam superstitionis erroribus, sintque eô nomine, vel destinatô Bullæ vnius impetu perciti, vel implicitis aliarum Sanctionibus inuoluti: vel porrò quòd traditam à Maioribus fidem studeant antiquare; proîn subditi causas has sibi iustas intelligãt esse, & verò, si salui esse velint, necessarias, cur abiectâ eorũ obedientiâ, in partes migrent Pontificias. Id adeò si æquum ducat, nùm ergo Imperatori, alijsuè Principibus (quorum Maiores Pontificatum prolixô & o-

pimô

pimô beatum patrimoniô, ad ciuilis Principatus ſplendorem euexerint) poſtquàm aduerſus Pontificem belli conſilium inierint, minùs exiſtimet, eôdẽ exemplô, fas eſſe, illius ſubditos ad rebellionem, & ſuarum partium ſocietatem, vt rem iuſtam & licitam, hôc ſuaſionis genere inuitare; quòd præter perſonæ, quam ſuſtineat, dignitatem, præter ſuperiorum Pontificum exempla, rem gerit Eccleſiaſticam: ſed nec Cæſarum, aut Regum antiquorum mentes vnquàm ſubijſſe, neque verò eorum proauos, nobiliſſimos olim Romæ, atque Italiæ Heroas, orbis pænè terrarum dominos voluiſſe, ſuô beneficio auctis Pontificibus vſque eò animos attolli, vt quâ conſueuerant arrogantiâ, vel poſterorum ſuorum ceruicibus inſultarent, vel in ciuitatem illam ſuperioribus ſæculis longè glorioſiſſimam, eiuſque ciues, nunc ſuæ factos ditionis, tantô faſtu dominarentur. In ſummâ, ſi copias adiungant, ſpem facere, priſtinæ amplitudinis, & libertatis recipiendæ.

126 Reſpondet Blacuellus, belli gerendi auſpicia, & rationẽ omnem â Politicorũ fontibus petendam eſſe: id verò certum habere, non niſi iuſtiſſimas debere belli cauſas eſſe. Porrò fatetur eſſe, qui, vt proſcribendorum Regum, vel etiam Regni clauo, in fidei & rei Chriſtianæ perniciem, abutentium, authoritatem omnem Pontifici derogant: tametſi concedant, poſſe eum hiſce moribus Principes ſoliô indignos renuntiare, ciueſq; adeò arcere ab eorum obſequio, ſecùs anathemate deuouendos, ſiqui in fidê maneant: (quibus quid aliud reſtat, quàm vt

*Iacob. Almain de poteſt. Eccleſiaſtica & Laica. Quæſt. 1. cap. 9.*

deſerti â ſuorum officijs, Regni poteſtatem amittant:) ita Imperatori licere ſentiunt, edicere Romano Pontifici, ſiquidem Petri claues malâ fide, in Reipublicæ detrimentum, adminiſtrat, vt ſede abeat Pontificiâ, addictis in publicum (nî faxit) quos in eorum finibus agros habeat fiduciarios: quô Imperatoris edictô coactos ad extremum fore, quorum intereſt, ſupremi Pontificatus honore Papam exuere. Sed iſta excuſat non eſſe iudicij ſui. Ad quæſtionem verò propoſitam hanc reddit reſponſionem, ex penitiſſimâ conſcientiâ (pro lectione & literaturâ ſuâ) deprompram.

*Idem ibidem Quæſt. 3. cap. 8.*

127 Sub neutrâ poteſtate, vel Pontificis in Cęſarem, vel Cæſaris in Pontificem, ius abdicationis eſſe. Quòd ſi vel hînc Eccleſiæ, vel iſthînc Reipublicæ ſtatus in morbo erit, licere inuicèm de medicinâ agere; ita tamen, ne ad vltima illa remedia decurratur. Porrò quemadmodum haud vllâ conditione fas eſt Pontifici (vt ſit ſæpiùs dictum) Regibus aut Monarchis, vel eiſdem maximè Proteſtantibus, aut faſces aut ciues abrogare, ijſque, vt in Principes ſuos arma ſumant, authoritatem polliceri, nedum vim adhibere mandati: ſimiliter, nec cùm adſcitâ Principis terreni perſonâ, ſub ſuo aut alieno ductu aciem inſtruit, vt iſtiuſmodi Reges (vel etiam religionis tuendæ conſilio) in proprijs finibus bellô laceſſant, eidem ius eſſe, illorum ſuadere ſubditis, vt ſuis Principibus rebelles facti, in ipſorũ caſtra tranſeant. Quam ſi vel is, vel eius miniſtri rationẽ inierint, detrectantibus (vt fit) Diras interminati Pontificias: ciuium tamẽ eſſe, nihil eâ denuntiatione deterritos, priſtinam

pristinam fidei & officij religionem ( tanquam integrâ Pontificis gratiâ) retinere.

128 Detestari itaq; (quod necesse habeat fateri) theses hasce insequentes, vt minimè Orthodoxas, vt refragantes Scripturarum,& Patrum Catholicorum doctrinæ,quam nouitijs omnium placitis anteponendam censet, vel etiam eorum, quos excellens alioqui doctrinæ gloria ad principem in Ecclesiâ locum subuexerit.

129 *Pium est & glorioſum, eô modo,eôq; tempore bellum gerere,quô ex conſcientiâ & lege,iuxta ſacerdotum,ſummiq; Paſtoris ſententiam iubemur.* *Card. Alanus contrà iuſtitiam Britanicam,verſ. Lat. fol.343.*

130 *Siquando religionis causâ bellum inciderit, Catholicorum omnium conſcientijs incumbere, vt in eo ſe, ſuaſq; copias ex optimi cuiuſq; earumq; rerum prudentiſsimi conſiliô applicet, Chriſtiq; potiſsimùm in terris vicarij,cuius ſupremâ potentiâ & authoritate Chriſtiani milites commodiſsimè & inſtrui poterunt, & animis confirmari,quôuſq;,quôq; tempore, & locô, ſeu domi,ſeu foris, in bellis,ſiue internis,ſiue extrinſecis, contra Eccleſiæ hoſtes, & perduelles, à ciuili Principe,& Domino ſuo poſsint, & verò debeant deſciſcere.* *Eiuſdem literæ ad Stanleium Anglicè pag.37.*

131 Sed nec diſſimulare poſſe, quàm penitus auerſetur argumenta omnia, quibus contendit libellus quidam, editus sub Annum 1588 vt defunctæ Reginæ ſubditos, quam Anathemate ictam Pontificiô,rerũ ſummâ argueret excidiſſe, ad partium Hiſpanarum ſtudium auerteret. Pariqueſe loco habere, tùm ſuaſionũ, tum deciſionum genera omnia, quæ in eundem finem proximis hiſce annis, dùm Tironius in armis eſſet, ſiue Salamanticâ, ſiue *Card.Alani Admonitio ad Nobilitatem Angliæ,edita Anglicè,Ann. 1588.*

aliunde edita sint in Hiberniam ; cuius exempli sunt ista:

*D. Iohannis Aquilini Edictum.*

132 *Reginam Regno priuatam esse , subditósque omnes absolutos â iuramento Fidelitatis suæ, per summũ Pontificem, cui Regnans in excelsis, Rex Regum, omnimodam potestatem tradidit, vt euellat, destruat, plantet, atque ædificet, ita, vt ipsos Reges temporales , si ad spirituale ædificium expedierit , vsque ad depositionem à Regno puniat. Quocirca Hibernos ex præceptis diuinis & obedientiâ, quam summo Pontifici deberent , obstrictos esse, vt Ioannis Aquilini , qui Papæ rogatu ab Hispaniarum Rege illuc missus esset, partibus adhærerent.*

*Ibidem.*

133 *Postquàm Pontifex Romanus ad eos iam transmitti copias, in fidei, quam profiterentur , defensionem curâsset; vti omnes, auditô ipsius Edicto , cum suis armis & amicis in eius castra quamprimùm aduolarẽt: secus se, vt hæreticos & Ecclesiæ hostes, ad internecionẽ persecuturum quotquot, spretô ipsius consiliô, in Anglorum obedientiâ deinceps permanerent,*

*Determinat. schole Salamanticens. Anno 1602.*

134 *Posse Romanum Pontificem, eos, qui Catholicam religionem oppugnant , armis coercere. Bellum à Tironiô, authoritate summi Pontificis, contra Reginam susceptum, fuisse iustum, teneriq; omnes Catholicos eidem in prædictô bellô fauere, idq; magnô cum meritô & æternæ retributionis spe non minore, quàm si contra Turcas bellum gessissent. Catholicos omnes peccasse mortaliter, qui Anglorum castra contra Tironium sequerentur: nec posse salutem æternam consequi, nec ab vllô sacerdote à peccatis suis absolui , nisi priùs resipiscerent & castra Anglorum desererent. Idem de illis censendum esse, qui in eô bellô Anglos armis aut munitione iuuarent, aut ijs tributa*

*tributa consueta soluerent. Qui verò in Tironij castris essent, eos nullô modô peruellium loco esse, neque obedientiam debitam negare, aut terras Reginæ iniustè occupare: quin illis potiùs incubuisse, vt se, terramq; suam iniquâ & impiâ tyrannide oppressam, in libertatem vindicarent, fidemq; Orthodoxam (prout Christianos & Catholicos deceret) pro viribus propugnarent.*

135 Queri Blacuellus, horum ipsâ recordatione penitùs sibi transfigi præcordia, quòd ingenij neruos sentiat ita strenuos, tâm venustos religionis prætextus Christiano sanguini adeò insigniter illudere, idque ferè in fraudem priuatam, & peculiares hominum rationes, quas planè sibi persuadet eius generis esse, vt nec Deo probẽtur, nec cum receptâ congruant Catholicorum disciplinâ, Quô acriore eius sensu tangitur, tùm quòd recentioribus annis complures videat nationis Anglicanæ illustres alioqui scriptores, per hoc præcipitium rapi transuersos, & in eius patrocinium totis doctrinæ suæ artubus ferri: tum quòd illius exitum, nisi huic violentiæ Pontifex, Numinis instinctu, maturè modum statuat, intimè pertimescat. Appetit sanguis sanguinẽ. Vtcunq; enim nascentẽ agnoscimus Ecclesiam irrigatã sanguine Martyrum, vberiùs prouenisse: ea tamen, ne detrimentum sibi pariat, tẽpestiuè viderit, si commutatâ ratione, ipsa cœperit inhiare sanguini. Editæ autem Hispaniâ rationes illę vel splendidissimã præ se ferãt licet religionis personam, nouum tamen iudicat Blac: & in omni memoriâ (quantum ex authoribus constat) inauditum, vt religioni habeant subditi, nisi Pontificis priùs stipulati assensum, Principum suo-

rum partes in bello iuuare. Sed neque videtur Regis Hiſpani iudicium eam poſſe Romano Pontifici, quã Aquilinus aſſerit, authoritatem ſuffragari, vt Reges *ſi ad ſpirituale ædificium expedire ſenſerit*, imperio ſuo deijciat. Hibernos autem perduelles, niſi in illud rebellionis ſcelus, altiùs, quàm vt pedem referre poſſent, ſe pridem immerſiſſent, parùm herclè mouiſſet, Hiſpanici huius legati Edictum. Ei vna omnis ſollicitudo erat, vna de incolarum fidê anxietas, quî Hiberniæ regnum poſſet ſub Domini ſui imperium redigere; abſque eô eſſet, Hibernorum fides per illum facilè iacuiſſet. Principes ſuis quiſque ſeruiunt rebus, nec ex Pontificum, ſed ex proprijs commodis conſilia ſua metiuntur. Neque certè Salamanticenſis decreti potior videtur authoritas. Scilicet Principis ſui rationibus operam dabant Magiſtri illi, politicè magis, quàm Theologicè prudentes. Euoluant enim Scripturarum codicem, Patrum, Conciliorum monumenta omnia, ab illis doceant, perfidiæ & rebellionis palmam, cœlum vſquam ſubditis aperiri.

136 Commonefactus hîc eſt Blacuellus, quas Sacerdotibus Pontificijs (nunc ſuæ, vt videtur, curæ) ipſa Miſſionis cõditio partes imperet, quam Catholiciſmo promouendo induſtriam, quem laborem debeant: ſi pluribus, ijſque primæ notæ eorum authoribus fides, qui hanc illis prouinciam ſic deſcribunt.

*Card. Alani Admonitio ad Nobilitatem Angliæ. edit. Anglicè, pag. 32. & 33.*

137 *Sacerdotum zelum & officium egregiè nobis cõmendat Athaliæ cauſa, quã Princeps ſacerdotũ Iehoiada, conuocatis tùm ſacerdotum, tùm populi copijs, occidi iuſſit. En vobis Zelum, & authoritatem ſacerdotum, pro*

*iuſtitiæ*

*iustitiæ & religionis defensione.*

138 *Sacerdotes constat & prophetas Regum deiiciendorum authores, & Principes Dei ministros extitisse. Quô in genere adèo claruit Elias propheta: vt scriptura eum honoris causâ hoc ornet encomiô:* Deiecit Reges ad perniciem: *& non dissimili Elizæum in eodem loco:* In diebus suis non pertimuit Principem, & potentiâ nemo vicit illum. *Et veteris quidem Testamenti hæc erat conditio.* *Idem pag 34.* *Eccles. iast 48.*

139 *In nouo Testamento & Sacerdotes magis amplam habent ac solutam potestatem; & Principes mandato arctiore iubentur Ecclesiæ parere, eámque amare, & omnibus rebus fouere: periturum alioqui regnum omne, quod nunc morem ei non gerat. Ecclesiæ præfecti nunc ius & potestatem habent, hæreticorum, Idololatrarum & blasphemantium aditu homines prohibendi, vt eos ne salutent quidem, nedum obsequio prosequantur.* *Ibidem pag. 34 & 35.*

140 *Cùm Principis impietate, religionis & Ecclesiæ status in periculum vocatur, tùm demùm piorum hominum & Monachorum est, peragrare ciuitates, circuire prouincias, monere, hortari, sollicitare, hominésque Christianos ad hanc virilem, quæ in factis, non verbis tantùm posita est, constantiam & fortitudinem incendere, & prædicare: Pacta conuenta cum Regibus, contra fidem Catholicam facta, nullius esse roboris, nec ab homine Christiano debere obseruari.* *Rossæus de iustâ Reipublicæ Christianæ authoritate, pag. 638.*

141 *Sacerdotes primi à religionis oppressore discedant, ac cæteris in eâ rè exemplô præeant. Sic Iehoiada sacerdos Leuitas contra Athaliam armans, in templô, vt præsidio collocans, centurionibus lanceas, clypeos & peltas* *De iusta abdicat. Henrici 3. pag. 57. & 58.*

*peltas Regis Dauid tribuens, & extra templum populum tenentium pugiones constituens, denique morti eam tradi præcipiens: Elias Prophetа quadringentos quinquaginta pseudoprophetas, inuito Rege ac Regina interficiens: Azarias sacerdos Oziæ Regi, ministerij sacri vsurpatori, cum octoginta sacerdotibus, viris fortissimis resistens, eumq; leprosum factum de templo primùm, postèà etiam de regno exturbans: denique Maccabæi, & ipsi de genere sacerdotum, strenuè pro lege Dei contra tyrannos depugnantes, sacerdotibus ac prædicatoribus Christianis, quorum illi partes tùm agebant, contra tyrannos, religioni Catholicæ infestos, siue exteros, siue domesticos, classicum canendi, & ad arma excitandi exemplum illustre dudum ac nobile præbuerunt.*

Rossæus de iustâ Reipublicæ Christ. authoritate, pag. 579.

142 Alio item in loco Rossæus.. *Num Episcopi* (inquit) *tenentur suæ fidei commissos instituere, vt â commercio Regis hæretici abstineant, vt ei nec in bello, nec in pace opitulentur, vt omnes ignari, & idiotæ ratiocinari discant: Talis vir hæreticus est, ergo in nos, qui Catholici sumus, potestatem non potest habere: & non tenentur Proceres suos famulos instruere, vt tali hæretico, non iam Regi, qui Regni ius non habet, sed tyranno vel latroni dominatum iniustè arripienti resistant? Nùm docet spiritus sanctus hæretici odium pro magno sacrificio offerendum esse Deo, ab eoq; tanquam à Cancro cauendum: & tamen nefas erit eidem Cancro, nos corrumpere molienti resistere, & eius impetum ferro à nobis propulsare, qui iubemur etiam carnem nostram rescindere, si tali Cancro fuerit infecta?*

143 Hisce auditis Blacuellus: me miserum (inquit) quid tantum de vobis commerui, vt afflictionem

nem addatis afflicto? At verò satis suprà testatum est, quàm penitùs ab istiusmodi assertionibus abhorream, si minùs *Cancro*, at multiplici tamen errore infectis. Exempla illa vim pati insignem, quis non videt, nec assequi, quod sequuntur? Nùm enim Samuelis, an Numinis iussu factum est, vt Sauli Dauides succederet? Quanquam & â Deo & â Samuele nihil abesset longiùs, quàm vt Sauli voluerint sceptrum de manibus eripi. Neque is adeò de Regnô priùs, quàm de vitâ discessit. Ioiada verò sacerdotum Princeps quid aliud fecit, quàm quod boni ciuis officium esset (quò sacerdotes, quò subditos generatim omnes similis causa vocat) vt Regis filium, regni hæredem legitimum, copijs suis iuuaret? Quid autem Elias propheta? Quos eum constat *Reges ad perniciem deiecisse?* Scilicet vt vates, diuinitùs rerum futurarum prudentiâ afflatus, Regi Achab prædixit fore, vt *quô locô canes linxerant sanguinem Naboth, in eôdem ipsius sanguinem lamberent*. Et Ochoziæ similiter: *Quia misisti nuncios, vt consulerent Beel-Zebub Deum Acharon, idcircò de lectulô, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris*. Lyræ enim sic est loci sensus: nec Hugoni Cardinali dissimilis: *Deiecisti Reges: id est, deijcientes prædixisti: ad perniciem, id est, propter perniciem suam: & fregisti facilè potentiam eorum, id est, confringendam prædixisti*. Eadem est Elizæi apud vtrumque ratio: illum, Propheta cùm esset, neque vultum Iosaphat Regis Iudæ erubuisse, quô minùs Dei nuncium fidenter enarraret: nec Principes â Rege ad se comprehendendum missos pertimuisse. Qui verò sub gladio

*Lyra super 48. Ecclesiastici.*

*Hugo Cardinalis super 48; Eccli. &c.*

Prophetæ ceciderant, illos cœlitùs mendacij conuictos, populus de Eliæ ſententiâ, legi diuinæ conſonâ, ſed & Rege (vt credibile eſt) annuente, cui alioqui in procliui erat facto reſtitiſſe, ferro inuaſit. Ab Eliâ ergo, quòd dicuntur internecioni dati, Lyra *per populum illi aßiſtentem* factum interpretatur: *vel fortè* (inquit) *aliquos occidit manu propriâ*. Sed ea cõiecturæ res eſt, quæ in contrariam partem perinde valet. Quod ad Azariam (qui idem Ozias) is anno Regni ſui viceſimô ſeptimô leproſus factus, legis iuſſu, â reliquis victum ſeparabat. Quanquàm palàm ſit, perpetuos viginti quinque annos, Regni prærogatiuam deinceps retinuiſſe: Scripturâ ipſâ triceſimum octauum & nonum, quinquageſimum & ſecundum annum memorante, quibus ſingulis Rex Iudæ regnare dicatur: etſi per cauſam morbi, Iothã eius filius & regiam adminiſtrandam, & rempublicam ſuſcepiſſet. Iothami tamen Regnum non niſi ab Azariæ interitu in Annales cœptum eſt referri: quô defunctô, *vt Regni hæres* (quod notat Theodoretus) in imperij culmen ſucceſſit, annoſque poſt regnauit ſedecim. Maccabæos verò conſtat, dùm rerum potiebantur, Principes fuiſſe opibus potentes, fortiſſimamque Deo & patriæ operam in bello nauâſſe, vt finitimorum Regum (Aegyptij præſertim & Aſſyrij) qui terram Canaan crebris incurſibus infeſtabant, vim & iniurias defenderent. Quorum (inquit) imitari virtutem par eſt, Anglos omnes, qui de Republicâ rectè ſentiunt, ſiquem inciderit Regum aut Principum exterorum, ſub qualibet officij ſpecie, id agere, vt armis hoſtilibus Maieſtatem ſuam eiuſque

*Genebrard. Chronolog. de Azaria.*

eiusque prouincias in potestatem redactas, sub seruitutis iugum mittat.

144 Iam noui Testamenti sacerdotio etsi honorem non sentiat ( vt est morbus temporum ) nimis amplum posse deferri, sanguinaria tamen hæc officia, quæ loquuntur authores illi (illustres alioqui viri) negat habere annexa. Equidem Christum (inquit) eiusque vestigijs, Apostolos non diffitemur, ciuitates & prouincias obire consuetos, vt prædicandi industriâ, veram & Catholicam fidē, ciuilis obedientiæ magistram, proseminarent. Iidem tamen eius sæculi Christianis, quantumuis capita extitissent pro singulis millena, nunquam aduersus Magistratus ciuiles, etsi fidei hostes, etsi fidelium carnifices, seditionis aut perfidiæ consilium iniecissent. Similis erat subsequentium ætatum conditio, quæ regiones, Rossæi more, peragrantium, sic *Euangelizantium pedes beatos* certè non dixissent. Quas (inquit) merces lubens optem Buchanani officinæ, & siqui eius sectatores harum fuerint rationum æmuli, integras nostri reliquissent. Ab istâ itaque opinionum peste tàm ortu nouitiâ, tam exitu sanguinolentâ, quibus nihil sit, quod minùs cadat in sacerdotem verè Catholicum, vt sit de reliquo silentium, supplex obtestatur. Quin & pœnitere se ait censuræ suæ de iis tàm crebrò interpositæ, quanquàm, nî fraudem sciens facere conscientiç suæ vellet, necesse habuerit ad eam descendere. Sic enim plerosque ferè animatos esse, vt non alium hinc possit fructum sibi polliceri, quàm existimationis suæ iacturam: non quam dictis factisque suis omnibus sortem pre-

catur, piam aliorum vtilitatem & ſalutem.

145 Subijt hîc requiri; nùm ergo iſta, tàm in Articulô proximô, quàm in ſuperiore omni *Quæſtione*, prouocata nomine Regiô, opinionis & officij ſui profeſſi, aliquam ei videretur, apud ſacerdotium, plebemuè Catholicam, offenſionem aut inuidiam allatura: annon potiùs ſi has reſponſionum ſuarum tabulas placeret edi in medium, magnam ſe beneuolentiæ, & authoritatis gratiam exiſtimaret apud ſuos lucrifacturum. Reſpondet Blacuellus: exiſtimationis ſuæ iſthînc amplificandæ ſpem ſibi exiguam, quin potiùs ſenſum iam eſſe imminutæ. Poſtquàm enim conſtantiæ ſuæ, in aſſerendo Fidelitatis iuramento, ſuſpicio tantùm ſit in vulgus nata, doceri ſe, nec vllô magis argumentô, quàm rei familiaris miſerô ſenſu, ipſum facti præiudicium, rê nondum exploratâ (dùm per hanc *Quæſtionem*, quid actum, quid reſponſum ſit, haud ferè quiſquam intelligit) alienas habere & offenſas multorum voluntates. Neque ſanè aliam hînc poſſe, præter maleuolentiæ & inuidiæ mercedem ſibi ominari, dùm hæc Pontificis *Breuia*, per fraudem, (ſic enim certò perſuaſum habet) & iniquos delatorum ſermones elicita, Catholicorum mentibus adeò potiuntur; niſi interim animorum ardor nonnullis refrixerit, niſi omnium mentibus affulſerit in hiſce cauſis cognitio atque intelligentia veri, niſi denique hominum corda in maiorem, quàm is adhuc ſit expertus, humilitatis & patientiæ modum (Dei benignitate) ſubſederint.

146 Poſtremò ſic actum eſt; Maieſtati ſuæ Regniſque Proceribus exploratiſſimum eſſe, quo animo

animo nunc ferè affectum sit genus apud nos Pontificium : quàm eorum palato generatîm non sapiat Fidelitatis iuramentum : quàm eius disciplinæ vel ex ipsâ plebe rari admodum (si numerum spectes) per hosce dies adduci velint, vt huic sacramẽto dent nomina: quàm illi, post *Breuium* illorum appulsum, Sacerdotes plærique omnes, hostes ex professô facti, eius odio reliquam Catholicorum familiam vulgò imbuant. Iidem quàm iugî diligentiâ omnia circumcursent, omnia concionibus obeant, quibus prima sint Euangelij capita : Posse pro suô imperiô Pontificem Maiestati suæ Regnum, posse in eius verba iuratis ciuibus fidem abrogare : posse eisdem perduellionis & sceleratissimi cuiusque in caput, aut statum Regium facinoris consilium iustâ authoritate armare. Quîn Serenissimum Regem, etsi nominatîm non sit *Bullæ* alicuius fulmine appetitus : ex eorum tamen instituto, complurium *Bullarum* implicitâ teneri sententiâ, quòd Primatum videlicet damnet Pontificium, & quæ sunt huius generis; nec ergo sceleri illis fore, modò rei benè gerendæ facultatem *casus* obtulerit, vel vltima in Maiestatem suam flagitij exempla edere.

Porrò Regem, Regnique administros scire, personatam esse Pontificiorum, siquam profiteri inciderit, obedientiam, neque religioni diutiùs esse, quàm dùm lacertis suis confisi, contra Maiestatem Regiam, sine suâ perniciê, videantur armis posse experiri. Catholicorum pubem, vt in sacerdotium adolescant, in transmarina subduci frequentem; adscitos in hunc ordinem, omnibus annis summitti in

Angliam, vt Pontificiorum numero, & viribus augendis ſeruiant. Sed & Apoſtolis hiſce, ab ipſa muneris ſui ratione incumbere, vt quàm queant plurimos de fide & officio ciues deducant, atq; idoneam vt quamque nacti erunt opportunitatem, ita illis ad motum, & perduellionem ſtimulos ſubdant. Iſta & iſtius generis complura, cùm omnium non oculis modò, ſed & manibus teneantur, Blacuellus qui ſenex iam factus perquàm maturi eſſet iudicij, conſilijque plurimi (quam ſibi opinionem apud Pontificios, ipſumque adeò Pontificem iamdiu peperiſſe, argumento ſit Archipresbyterij & Protonotariatus delata ab illis authoritas) vehementer iubetur dicere, idque iudicij ſui & conſcientiæ fidê, quid Maieſtati ſuæ Regnique Ordinibus, ſic de religione perſuaſis, conſilij cenſeat capiendum; vt ea â ſuis ceruicibus mala depellant, quæ temporis decurſu vident neceſſariô iſthînc eruptura, niſi maturè ab his tàm veſanis, tàm turbulentis, tàm proditorijs rationibus omnes Pontificiorum ordines vel arceantur ſeueritate animaduerſionum, vel ipſo Pontificis imperio reuocentur: factâ ſuis Catholicis huius iuriſiurandi poteſtate (modò interim de prætenſô in ſpiritualibus Primatu, ſalua illi res ſit) vt eius autoramento obſequij, fideijque ſuæ, erga Principem patriamq; ſuam, in rebus omnibus & cauſis ciuilibus, Regi Reique publicæ ſecuritatem & fiduciam ſanciant.

147 Blacuellus ſic ad omnia: rem illam iudicij ſui, ſuarum virium non eſſe. Scire, Regem Sereniſſimum plurimarum virtutum ſingulari exemplo ornatum,

natum, in quibus insignitèr emineant eius lenitas & clementia. Scire Maiestatem suam, quique rebus præficiuntur publicis, in periculis arcendis diligentissimos esse. Manipulum esse, si cum Ministrorum fusâ per Angliam multitudine conferatur. Sacerdotum numerum: neque verisimile fieri, plus hanc paucitatem, ad homines Papæ conciliandos, quàm copiam illam ad continendos posse. Sed nec desperare, quîn Pontifex, siquidem rerum Anglicanarum statum verè aliquando datur cognoscere, Catholicos omnes ad debitum velit, erga Principem suum, officij modum compellere. Quin & posse fieri, vt dogmatum peruersorum æstus breui deferuescat. Etsi enim, quos ætatis impetus hauserit in studium rerum nouarum, ij seruire aliquandiu possint affectibus suis: seuerioris tamen fermenti homines spem esse, ad veterum Catholicorum, quibus esset pietas integerrima, mores & instituta redituros. Catholicis vulgò omnibus, etsi mentes religione obsessæ in fraudem flecti possint: firmam tamen & incorruptam fidem in Maiestatem suam, syncerum in patriam animum permanere. Istæ verò opinionum nouitates, hæc Regum deponendorum, & ciuium ad arma incitandorum idiomata, minimè se dubitare, quin & rê, & verbô in desuetudinem, & obliuionem abeant. Se quantum consilio, quantum authoritate apud Catholicos valebit, ità illis authorem fore perpetuum (dùm saltem Archipresbyteratûs sui facultas erit) vtì in obsequiô & fidê, erga Maiestatem suam, immoti persistant, neque contrariæ disciplinæ aures sinant patere. In summâ, quod in se sit fidelitati suæ

ti ſuæ præſtitiſſe, ampliùs requiri, iniquum eſſe. Quæ per omnem hanc tot dierum Actionem paſsim interrogatus reſponderit, ea ſe ex intimo iudicij ſui ſenſu, ſine fucô, ſine ſubterfugiô protuliſſe: vt ſibi de cætero polliceatur, ſe pij, fidelis, & officioſi ciuis (qualem ſe & nunc eſſe, & ad ſupremum vitæ diem ſpondet futurum) certam & ſtabilem apud Maieſtatem ſuam & Regni proceres opinionem eſſe promeritum. Ipſam denique præteriti ſermonis recordationem tàm altè animo ſuo inſediſſe, vt tùm officij ſui conſcientiâ, tùm nonnullorum miſeratione in errore verſantium inductus, ſecundas in omnes Angliæ Catholicos, ſiue ſacerdotes, ſiue plebeios, Literas ſit commentatus, vt magis ſeriâ, de rebus hiſce controuerſis, deliberatione initâ, facta velint ſua, & cogitata omnia, ad eam officij & obſequij normam dirigere, quam verbi diuini præſcriptô, quam veterum Chriſtianorum exemplô ſancitam, optimus quiſque Catholicus tenetur obſeruare. Defunctus hôc ſermone, omni orabat opere, vr finis eſſet interrogandi: quod adeò exorauit.

*Georgius Blacuellus, Archipresbyter Anglorum, & Protonotarius Apoſtolicus.*

M.G.

# M. G. BLACVELLI ad Anglos Pontificios, pro Fidelitatis iuramento, altera Epistola.

*REuerendi admodum, & cum primis dilecti, tùm ex Sacerdotio, tùm ex plebe, fratres Catholici: vester in vinculis seruus Georgius Blacuellus nuper in Domini vineâ cooperarius, fideliſq; pastor, & Archipresbyter vester, memoriam vestri facio in orationibus meis sine intermissione, vt Deus optimus maximus per Christum Dominũ largiri vobis velit pacem, patientiam, humilitatem, veramq; obedientiam, non erga eos tantùm, qui animabus vestris præcipuâ curâ inuigilant, sed in ciuiles etiam Magistratus (pro sacrosanctô eius institutô) Serenissimum Regem* IACOBVM, *Principem nostrum legitimum, & qui illius auspcijs rempublicam ad-*

 *ministrant,*

*miniſtrant, in quorum fidem, corporum, fortunarum, veſtræq; adeò ſalutis concredita eſt tutela; vt quietam & tranquillam vitam in omni pietate & caſtitate agatis.*

*Quàm controuerſa res ſit, & plena diſſenſionis Fidelitatis iuramentum, poſſitne ſaluâ religione adiri; quàm multorum ſententiâ, potiſſimùm verò Cardinalis Bellarmini (magni hominis & excelſi) damnatæ ſunt, quas ego in hâc causâ ſecutus ſim, rationes: quid denique in eâ ſtatuerint duo Sanctitatis ſuæ* Breuia, *nemini veſtrûm poteſt eſſe obſcurum. Quô grauius forſan vobis inijcietur & admirationis argumentũ, & verò ſuſpicionis, de meâ, in religione Catholicâ, ſyncéritate, vbi me præſertim cõperietis nullius rei aut rationis præiudicio motum, quæ hactenùs interuenerit, veterẽ ſententiam necdũ exuiſſe, idque adeò (quod officij mei & apud Deum & homines ratio exigit) liberè vobis profiteri.*

*Scio quid Eccleſiæ ex vſu ſit: ſcio quam in vſu iamdiu poſuerint Eccleſiæ Romanæ Præſules, contra Imperatores, Reges, & Principes, idque vtili ſuo tu, & propitijs temporibus, authoritatis prærogatiuam; quam quidem exoptem, eâ manſue-*

mansuetudine & moderatione tractatam, vt ab omni controuersiæ & contradictionis aleâ adhuc intacta permansisset. Cæterùm postquàm illius tàm diligens, nec ab aduersarijs modò, sed & â nostris fieri cœpta sit disquisitio, iudicijq; mei syncerè & cum fidê, tanquàm Deo teste, declarandi, eiusq; iuramenti suscipiendi tanta mihi necessitas sit illata, eademq; de integro, & quidem enixiùs nuper iterata: quid sanè restabat aliud, quàm vt sententiam hâc in re meam (quantũ doctrinæ meæ mediocritas assequeretur) ingenuè aperirem, nisi cõscientiæ meæ præuaricari vellem, & Dei iram, qui ad Ecclesiæ suæ statum & dignitatem tuendam mendacio non eget, vltrò prouocare?

Aliud est, vt de facto quid obtineat, & iure positiuo; aliud vt ex iuris diuini instituto debeatur. Atque is cardo est istius controuersiæ, quæ diuersis nostrorum studijs adeò agitatur, vt plus isthinc verear detrimenti, quàm quod consilio & ratione hactenus sit prouisum, Catholicæ religioni inuectûm iri. Quicquid enim comminisci homines poterunt, nunquam tamen euincent, Ecclesiæ doctrinâ, rectè expositâ, verè deductâ, vel tãtillum imminui aut labefactari Imperatorum aut

*Principum maiestatem & splendorem, sed firmari potiùs & stabiliri. Cui contraria opinio Christianis ijs, qui Heroicis Ecclesiæ temporibus vixerant, Apostolorum ætatem proximè consecutis, falsò est ascripta: nec sanè nostrum minus, quàm illorum sæculum odiô sui implere debet.*

*Quod in hunc sensum est â Cardinale Bellarmino traditum, solidum duco & orthodoxum, nec vllâ argutiâ eludendum.* Christus non abstulit, neque aufert regna ijs, quorum erant. Neque enim, quæ bene se habebant, destructurus venit, sed perfecturus. Idcircò quando Rex fit Christianus, non perdit regnum terrenum, quod iure obtinebat, sed acquirit nouum ius ad Regnum æternum; alioqui obesset Regibus Christi beneficium, & gratia naturam destrueret. *Rursum.* Infideles Principes veri sunt & supremi regnorum suorum Domini. Dominium enim in gratiâ aut fidê non est fundatum; igitur Papa non est Dominus earum prouinciarum, &c.

*Bellarmin. de Rom. Pontif. lib. 5. cap. 3.*

*Idem ibid. cap. 2.*

*Regibus ergò, dum Infideles foris manent, certum constat, ex ipsâ naturæ lege, imperij sui ius,*

*ius, obedientiæ, â ſuis debitæ, ſtabilis fiducia; & numcui videri poteſt, in Chriſti ouile receptis, mutatam illis rem eſſe, ſtatuſq; terreni ſtabilitatẽ imminutã? Hoccine æquum eſt fieri, vt* Chriſti beneficium *prædicetur* Regibus minimè obeſſe; *poſtquàm verò, ſpe factâ Regni, & cœleſtis acquirendi, & terreſtris ſibi confirmandi, ſubditorumq; obſequij, ex Chriſti & Apoſtolorum præceptis, legiſq; moralis inſtituto ſtabiliendi, in Euangelij fidem ſe Reges dederint, vt quâuis prætensâ causâ, gratia naturam deſtruat, aut ſubruatur dominium,* quod non ſit in fide fundatum? *Eône videntur conſiliô vel Conſtantinus Magnus, vel Regum & Principũ alius quilibet Euangelium recepiſſe, aut ad fulciendam Epiſcoporum infungendis muneribus potentiã, ſpirituali imperio Regiam authoritatẽ ſubſidio addidiſſe, vt ciuilem ipſorum Maieſtatem deuoraret, deprimeret, aut ſuperaret poteſtas Eccleſiaſtica?*

*Equidem ( dilecti fratres ) iſtiuſmodi commẽta Chriſtianæ religionis mera ſunt opprobria, nec aliam ſui memoriam mentibus veſtris debent imprimere, quàm vt cognita ſtudiosè declinentur. Errant enim, qui eam Baptiſmo, vel ad*

*Regum, vel aliorum ſtatus commutandos, poteſtatem affingunt. Baptiſmus Satanæ regnum deſtruit, terrena Regum iura, aut fortunas non imminuit, nõ alienæ poteſtati ſubijcit, niſi ſiqui pij aut munifici animi inſtinctu permoti Principes, à quibus gratias acceperint ſpirituales, ijs terrena velint beneficia viciſsim impartiri. Neque enim intelligenda eſt Eccleſiæ cum Regnis ciuilibus coniunctio, vt vnum conſtituant corpus Chriſtianum, aliam efficere mutationem vel reiminum & officiorum permixtionem. Ea adhuc manent ſuis diſtincta muneribus, vt nec Imperatori, Regiuè, aut politico Magiſtratui fas ſit cœleſtis regni Claues ſuſcipere adminiſtrandas, reliquiſuè Sacerdotij munijs manum admouere: neque Sacerdotum aut Pontificum cuilibet, ſed nec ipſi Papæ liceat, iure Eccleſiæ, vel quâ ſint Pontifices, ad gladium temporalem, vel ſuâ, vel (ex eorum nutu) alterius manu, pro arbitrio tractandum, ius & poteſtatem ſibi ſumere. Hanc enim Deus Regum tantùm, & Principum authoritatem voluit eſſe propriam, ad ſontium vindictam; cui adeò* non propter iram modò, ſed & propter conſcientiam, ſubditi debemus eſſe.

*Sed*

*Sed nec illa ad Ieremiam Dei verba*, Constitui te super gentes, & super Regna, vt euellas, & destruas, & dispердas & dissipes, & ædifices,& plantes,*rectè interpretata, Sanctitati suæ id præstare authoritatis possunt, vt Regna ab vno in aliũ transferre, Regibus quâuis de causâ imperium abrogare, eorum subditos, Fidelitatis mancipio solutos, armare in Principes suos*, Regna Regésque, (*alios* ædificandi,aut* plantandi *prætextu*) euellere *queat aut* destruere. *Hoc â Spiritus sancti consilio longissimè abfuit, quod ab Hugone Cardinale Barchionense, virô eximiô, videatis (meô quidem iudiciô) meliore fide,ante annos 368 expositum, siue id mystice, siue ad literam intelligatur, in hunc modum:* Constitui te super gentes & super Regna, vt euellas, id est, Iudæos esse euellendos de terrâ suâ enuncies: & destruas, id est,ciuitatem Ieruſalem destruendam,& terram eorum,prophetes; & dispердas, id est, eos dispердēdos à Principibus Chaldæorum prædices; & dissipes, id est, dispердandum esse prędices Regnum Iudæorum per captiuitatem. Et ne Iudæis desperandi hinc occasio

*Hugo Cardin. in Ierem. cap. 1.*

occaſio exiſteret, ipſorum non modò captiuitatem, ſed & liberationem præſagiens, addit, & ædifices, id eſt, ciuitatem reædificandam nuncies: & plantes, id eſt, Iudæos adhuc plantandos eſſe in Iudæâ prædices. *Hic Cardinali ſenſus eſt ad literam diuini ad Ieremiam mandati: myſticus verò ſic habet:* Vt euellas herbas inutiles, id eſt, cogitationes malas, per contritionem, & deſtruas nociuas delectationes, mundâ confeſsione, & diſperdas peccata malè adunata, competenti ſatisfactione, & diſsipes colligationem malę conſuetudinis, per bonam aſſuefactionem, & ædifices ſuper firmã petram, meritorum cumulatione, & plantes lignum vitæ in te, & alijs, virtutum radicatione.

*Neque ſanè alio ſenſu, quàm qui ſit ab hôc illuſtri Cardinale ad literam deſcriptus, Prophetam conſtat, qui Dei voluntatem ad ſe loquentis præſumitur optimè perſpexiſſe,* Reges aut Regna euertiſſe, diſsipâſſe, aut deſtruxiſſe, *vel etiam Principes, populumuè aut gentem vllam* plantâſſe, aut ædificâſſe. *Latiùs ſi Ieremiæ verba, ſiue propriô, ſiue figuratô ſenſu proferantur,*

(*quod*

(quod ad sustinenda in Reges & Principes istiusmodi facta, quibus occurrit Fidelitatis sacramentum, per hos annos videmus contigisse) vim illis fieri manifestam intelligatis.

Præterierunt aliquot menses, cùm ad me Cardinalis Bellarminus Literas dedit, expostulantes, quòd Fidelitatis iuramentũ admisissem, quòd ad illud officium alios, me duce, inuitâssem. Ad eas postquàm ego responsum elucubrâram, factum est eorum solertiâ, qui mihi diligentissimos præficiunt rationum mearum speculatores, vt & ipsæ Cardinalis Literæ, & mei vnà Responsi exemplar deprehẽsa sint, & ad Magistratũ delata. Quâ adeò occasione arreptâ, effectum est, vt ego ad Quæstionem & diutinam & diligentissimam sim reuocatus. In cuius omni negotio, cùm aliud ex alio interrogantem sequi haberem necesse, officijq́ mei in Deum, Regemq́ Serenissimum religione subinde admotâ, conscientiæ meæ fides (quoad scirem) in singulis efflagitaretur: feci, quod facere æquum erat Sacerdotem verè Catholicum, piumq́ Regis subditum, fidelem Dei seruum, & Sanctitatis suæ matrisq́ Ecclesiæ filium obsequentem. Quamobrem vos supplex oro, & ob-

*testor, (cuiusque ordinis fratres mei) imò vobis* per misericordiam Dei, & in visceribus Iesu Christi, arctè præcipio, *qui adhuc (nisi secùs quid constat) Archipresbyteri authoritate fretus, iure mihi videor vos posse hoc more compellare, vt si responsa mea (quod reor fore) per* Quæstionis *præfatæ seriem fusa, contigerit in vos exire, nec ea improbare velitis, nec impugnare; sed ex eorum potiùs disciplinâ, mentem, vitamq; vestram, per debitum Maiestati suæ obsequium, informare.*

*Improuidâ magis qui sunt ætate Catholici, quod genus animi plerunque impotentiâ, & variorum affectuum impetu rapi, plusq; ad res gerendas ardoris & studij, quàm consilij aut experientiæ afferre consueuit,* Quæstionis *meæ Acta, vbi emerserint, tacitâ (scio) obmurmuratione, forsan etiam apertâ animi offensi significatione excipient. De vobis autem, qui maturiorem iudicij, grauitatis, & prudentiæ modum attigistis, spes mihi omninò lætior, nullas posse vel iniquorum calumnias, vel in hâc Epistolâ, aut in* Quæstione *proximâ sermones meos, per cauillum intellectos, vobis offensionem parere. Firmiùs enim*

(scio)

(ſcio) mentibus veſtris inſedit veritas, de veſtra, quâ in Regiam Maieſtatem tenemini, obſeruantiâ, quàm vt his aut ſimilibus humanæ ſapientiæ illecebris aliquid loci imposterum detis, quæ in fide & officio erga Maieſtatem ſuam (prout ex Apoſtolorum præceptis, pij iubentur ſubditi) diutiùs vetant manere, quàm dum numero veſtro, aut ſummi Pontificis mandato confiſi, tutò videamini, citra fortunarum, aut vitæ iacturam, arma poſſe in Eum ſumere ceu in Regiæ perſonæ noxam, aut contumeliam, vel in Regni Eius & prærogatiuæ Regalis præiudicium, quodcunque facinus machinari. Opiniones (mihi credite) in ſemetipſis execrandas, repugnantes Scripturæ ſacræ, & â veris omnibus ac rectè ſentientibus Catholicis in perpetuum deteſtandas.

Neque velitis (obſecro) literarum quarumcunq; vel etiam Breuium obiectô terrore, animos demittere, quæ religionem inijcere aliquô modô videantur, iuramentum Fidelitatis admiſſum vel fidei caput aliquod (quod ſaltem Eccleſiæ conſenſus adhuc definierit) vel Pontificis Romani primatum impugnare, ſuis modò limitibus, id eſt, Clauium cœleſtium viribus & poteſtate, circum-

ſcriptum. Quarum adeò vis Clauium ex iure diuino ad Regna nequit terrena pertingere, vt eorum aditum aut claudant, aut recludant, eorum ſtatum agitent, vel perturbent. Nulla ijs ita facta ſunt organa, vt Imperia inuertant, aut euertant; nulla ijs poteſtas eiuſmodi, vt ad hos rebellionis & inobedientiæ tramites licitum vobis introitum aperiant.

Supremum Pontificem Eccleſiæ Catholicæ caput eſſe, conſtantiſſimè teneo: quin & ſpiritualibus eius cenſuris proprié appellatis (Interdicto ſcilicet & Anathemati) Imperatores & Monarchas, qui in Chriſti fidem venerint, ad vnum omnes, quibuſdam in cauſis ſubiacere. Reges verò extirpare, aut Regnis ſuis euertere vt poſſit Papa, quocunque authoritatis ſuæ (directæ, vel indirectæ in ordine ad ſpiritualia) præſidio fretus, quam ſaltem ex iure diuino in temporalibus ſibi queat adſciſcere, in eô equidem prorsùs diſſentio, non minùs tamen (ſpero) Catholicus, quàm qui contrariam vel maximè opinionẽ ſequitur: vtcunq; affirmare videantur Cardinalis literæ, neminem poſſe ad ſententiam meam, atque adeò ad Fidelitatis ſacramentum accedere (quod

tamen

*tamen temporalem duntaxat Papæ authoritatem, tàm indirectam, quàm directam excludit)* quin Primatum Sedis Apostolicæ perfidè abnegare cogatur.

*Quæ Cardinalis dicta mirari equidem possim, nisi ex calumniâ, & delatorum fraude nata existimem; cùm Romani Pontificis Primatum (cuius minimè debet anceps esse doctrina) in loco incertissimo magnam partem constituant. Scit enim Cardinalis (nemo rectiùs) nondum esse vel communi Ecclesiæ, vel solenni Papæ sententiâ tanquam ex Cathedrâ definitum, nùm Papæ in tẽporalibus ius sit & potestas omninò data, præterquàm in ijs, quæ ad Ecclesiæ patrimonium, aliasq́ possessiones spectant, in sedem Apostolicam Principum donatione transcriptas. Sed & hæc authoritas si Papæ aliquãdo constabit, eam oportet vel indirectè esse â Christo concessam, quod C. Bellarminus, pluresq́ eius astipulatores fidẽtissimè pugnant; vel directè, quod æquali fiduciâ pars tuetur aduersa, alterâ alterius sententiã constanter pernegante. Quoniã ergò dum contra alterutrã opinionẽ pronuntietur (quod temerè nõ arbitror, multis de causis tẽtatûm iri) definiri neque-*

*at, habeatnè Papa vllă prorſus iſtiuſmodi, quam vel hi, vel illi affirmant, in tẽporalibus authoritatem: æquum erat meô quidem iudiciô, Cardinalem Bellarminũ, nec Papæ primatum, cuius certa eſſe debet & explicata ratio, his ambiguitatũ ſpinis perplexam & impeditam reddidiſſe, nec crimini mihi vertiſſe, quòd illas vel ipſe declinârim, vel earum fraudem cauendi alijs author fuerim.*

*Cæterùm in me, & de me ſcripſit Cardinalis Illuſtriſſimus quæ viſa ſunt : quæ ego pro officiô meô, æquo animo ſuſtinuiſſem, niſi in omnes mortales, quâquâ ſe ſpargent eius literæ, ( quarum vtique exemplar longè, lateq; iam audio percrebuiſſe ) palam edidiſſet; eius iuramenti admißione* in diſcrimen adductum vnum ex præcipuis fidei noſtræ capitibus, & religionis Catholicæ fundamentis, *cùm nullum tamen eiuſmodi caput, aut fundamentum hactenus ſit Eccleſiæ conſenſu conſtitutum. Vt ( quantum mente, aut iudicio complector ) nihil mihi adhuc obſtare videam, quin Fidelitatis iuramentum, vt rem æquam, probare, quin vos porrò hortari pergam, vt huic ſacramento, iußi publicè, manus detis, ne eas vltrò ærumnas accerſatis, quæ alioqui vobis impendent,*

*impendent, nõ vt fœlicitatis illius, beatitudinisq́ue symbola, quæ veritatis causâ, calamitate afflictis sit promissa, sed eorum potiùs iudiciorum, quæ in malos mores, hominumq́ue inobedientiâ Principes & supremi Magistratus sanxerint.*

*Ne erretis fratres mei: hæ enim passiones non ducunt ad martyrium: hæc victima non est Deo accepta. Neque verò animum velis it inducere, posse vnquam subditorum perfidiam, aut perduellionem, posse illorum in Principes suos vel rebellionem, vel clandestina consilia, eorumq́ue, in capitis Regij discrimen aut perniciem, executionem (quibuscunque tandem vel authoribus vel actoribus) glorioso Martyrij nomine honestari. Cauete (iterum atque iterum vos obtestor) ab hôc fermenti genere. Sit licet* massa vestra quantumuis alioqui pura, azyma, & syncera, *hâc tamen admistione corrupta, protinùs coacescet. Stabiles este in fide Catholicâ eiusq́ue veram professionem, constantiâ pristinâ retinete.*

Doctrinis varijs & peregrinis ne seducimini, *quæ Regum abdicationem, subditorum è fidelitatis nexu manumissionem astruunt, eisdemq́ue*

demq; contra Principes suos in aciem prodeundi, & in eorum personas vel occultis insidijs, vel vî & manu grassandi, iustam authoritatem pollicentur. Ab hôc genere Deum Optimum maximum testari possum quàm intimo odio anima mea abhorreat. Quæ Petro, vt occideret, & manducaret, vox facta est, de Regibus certè non est facta, vt hâc in eos ratione statueret, vt sedibus suis submoueret, eorumq; Regna in alios conferret, vt occidi denique iuberet, quò Fidelium, Fideiq; Catholicæ fœlicior & lætior esset status. Pastu certè recreari nobis possunt corporum vires, nihil autem minùs conuenit, quàm istiusmodi in Reges consilijs, nostræ vt pascantur animæ. Iohannem ac Iacobum videmus, quòd euocato cœlitùs igne absumi Samaritanos vellẽt, qui Dominum eorum Christum hospitio non acciperent, ab illô increpitos, audiuisse, nescire eos, cuius essent spiritus. Sanctus Petrus, gladiô districtô, Malcho aurem præcidit, idq; in causâ (quatenùs humana poterat ratio penetrare) longè iustissimâ. Id tamen Christo factum constat displicuisse, qui Petrum monuit, & in eo (meâ quidem sententiâ) Catholicos tàm ex sacerdotio

*cerdotio, quàm ex plebe generatim omnes;* perituros gladio, quotquot gladium acciperent. *Hæc & alia similis argumenti sciamus in nostram (dilecti fratres) correptionem, & in fide Catholicâ institutionem scripta esse.*

*Facite ergo, ab ijs caueatis, quibus in ore & opere* sanguis nihil est: *exitij & ruinæ vestigia nolite insistere: in scopulos ne incurrite: difficilibus hisce Labyrinthis ne vos committite. Et verò, si filij vestri (qui patres estis) si patres (qui filij) harum vobis rationum suasores extiterint, eorum consilium, quippe quod ex Deo non sit, ne audiatis. In his seditionis & flagitij semitis* Buchananus, *eiusq; comites, vel siqui porrò illius sectæ sunt riuales, soli erranto. Vos verò (quod Propheta iubet, quod eadem ipsa, quam profitemini, disciplina monet Catholica)* in vias antiquas inquirite: interrogate quæ sit via bona, & in eâ ambulate. *En ergo (mihi credite) vias antiquas; quæso à vobis, vt eas sequi velitis, ne in vos conueniat, quod de alijs, dispare tamen in causâ, dictum sit:* Laudatis semper antiquitatem, & nouè de die viuitis: *sanctam habetis vetustatem, & rectè quidem* *Tertul. Apol. cap. 6.*

*facitis, ſed pleroſq; fere nouis dogmatibus nimiũ video deditos, quod ſanè vitiũ magnoperè reprehendo. Numquid percuſſam habet* REGIS IACOBI *imaginem æs veſtrum? Si annuitis; quin igitur* REGI IACOBO *redditis, quæ ſunt* REGIS IACOBI, *quæ ſunt Dei, Deo?* Omnis
Roman. 13. 1. anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas, niſi â Deo. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Ideóque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.

1. Timoth. 2. 1. Obſecro primùm omnium (*inquit Apoſtolus*) fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate: hoc enim bonum eſt, &
1. Pet. 2. 13. acceptum coram Saluatore noſtro Deo. Subiecti igitur

igitur estote omni humanæ creaturæ, propter Deum, siue Regi, quia præcellenti, siue ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ, libertatem, sed sicut serui Dei. Omnes honorate: fraternitatem diligite: Deũ timete: Regem honorificate.

*Ecce vobis (fratres dilecti) Orthodoxas illas, & Apostolicas vias, quibus insistebãt, quibus vnicè studebãt sanctissimi quiq;, & Apostolorũ sæculo proximi, Maiores nostri; professi scil:* eosdẽ se Imperatoribus esse, quos & vicinis suis. *Tertullian. Apolog. cap. 36.* Maiè enim velle, malè facere, malè dicere, malè cogitare de quoquã, ex æquo se vetari: quodcunque in Imperatorem non liceret, id nec in quenquam: quod in neminem, eo forsitan magis, nec in ipsum, qui per Deum tantus est. Christianum nullius esse hostem, *Tertul. ad Scapulam. cap. 2.* nedum Imperatoris, quem cum sciat à Deo suo constitui, necesse est, vt & ipsum diligat, & reuereatur, & honoret, & saluum vel-

lit. Colere ſe ergò Imperatorẽ, ſic, quomodo & ijs liceret, & ipſi expediret, vt hominem â Deo ſecundum, & ſolô Deo minorem. Se pro ſalute Imperatorum Deum vocare æternum, ſcientes quis dederit illi imperium: in cuius ſolius poteſtate ſunt, â quô ſunt ſecundi, poſt quem primi. Suſpicere ſe in Imperatoribus iudicium Dei, qui gentibus illos præfecit; id ſe in illis ſcire, quod Deus voluit; *& propterea à id ſe ſaluum velle, quod eſſet ſecundùm Dei ordinationem.* Orare ſe pro Imperatoribus, *pro eorum miniſtris & poteſtatibus, pro omni ſtatu Imperij, & pro omnium rerum tranquillitate.*

*Tertul. Apol. cap. 30.*

*Ibidem cap. 32*

*Qui ergò veteribus Chriſtianis Imperatores erant, cùm & nobis (fratres Catholici) ſit Rex* IACOBVS, *ſub cuius itẽ auſpicijs multo æquior exiſtat noſtra, quàm ſub Imperatorum nonnullis eorũ conditio, reliquum eſt, vt quô in Imperatores ſuos illi, eôdem & nos in Maieſtatẽ ſuam affectu ſimus. Vna ſemper eſt & conſtans Dei voluntas. Quod illâ ætate non licebat, nec noſtrâ licet. Quod per id tempus Chriſtianorum erat officium, id etiamnùm vim retinet priſtinam, neque nos minùs*

*nùs arctâ, quàm illos, religione astringit. Quocircà, quæ suis Imperatoribus illi per Imperij sui fines præstabant obsequia, eadem & Serenissimo nostro Domino*, Regi IACOBO *intra ditiones suas â nobis debentur, vt eorum exemplo, Maiestati suæ â Deo Optimo Maximo votis assiduis expetamus* vitam prolixam (*nec ergo operâ nostrâ minuendam*) imperium securum (*cui ergo nobis non licet vllo in genere turbas mouere*) domum tutam (*nec vllis ergo nostrorum machinis debilitandam*) exercitus fortes, *quorum ergò vt fidelitatem auertamus*, senatum fidelem, *quorum vt subruamus fidem, nobis cõniti nefas est*: populum probum (*quem ergo non licet, nobis authoribus, ad seditionem incendi*) orbem quietum (*cuius ergo conari non debemus aut pacem perturbare, aut potestatem ê manibus extorquere*) & quæcunque hominis, aut Cæsaris vota sunt, *quæ ergò nostrâ fraude minimè sunt aut intercipienda, aut minuenda. Has si Patrum nostrorum semitas fatemur esse, eas alacres ineamus: hæc si via sit bona, nos indefessâ patientiâ in eâ ambulemus*. Recogitate eum, qui talem sustinuit â peccatori- *Tertul. Apol. cap. 30.* *Heb. 12, 3.*

bus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini, animis vestris deficientes. Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris, posteà autem *vobis (dilecti Catholici)* per eam exercitatis pacatissimum iustitiæ fructum reddet: *Et Deus consolationum animas vestras suo tempore veris solatijs, vel in præsenti sæculo, vel certè in futuro cumulabit.*

*Ibidem ver. 11*

*Cui tàm salutari consilio, tàm salubri doctrinæ congruit Augustini locus ille, vbi illiusmodi interrogationi occurrit, qualem vestra nonnullorum impotentia mihi forsan mouere poterit, quòd, ex vllis in Serenissimum Regem, Regnumq; machinationibus, onerum vestrorum leuamen, saluâ conscientiâ, nequeam vobis polliceri, sed in timore, veroq; obsequio, & fidelitate in Maiestatem suam, & patriam vestram (quicquid erit) permanendum moneam, patientiâ & precibus de cætero armatis:* Nunquid (*ait*) sic erit semper? *Respondet bonus ille pater:* Non sic erit semper. Veniet tempus, quando vnus agnoscatur Deus. *Id verò (inquis) quando veniet? Respõdet itidem:* Quando vnus Christus

*August. Enarration. in Psal. 124.*

Christus in claritate suâ apparens, congregabit ante se omnes gentes, & diuidet eas, sicut diuidit pastor hœdos ab ouibus, oues ponet ad dextram, hœdos ad sinistram.

*Interim corda vestra hâc certâ spe habeatis confirmata, fore, vt in fide Domini nostri Iesu Christi perseuerantibus Rex tum vobis dicat, qui â dextrâ eius eritis :* Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum â constitutione mundi. *Quâ spe freti,* animas nostras in patientiâ possideamus, id agentes, vt per gratiam seruiamus placentes Deo, cum metu & reuerentia. Exeamus vnà ad Saluatorem nostrum extra castra improperium eius portantes. Ipse autem Dominus noster Iesus Christus, & Deus & pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationē æternam & spē bonam in gratiâ, exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono.

*Georgius Blacuellus Archipresbyter Angliæ, & Protonotarius Apostolicus.*

*Londini è Carcere. Ianuarij* 20. 1607.

Inscriptum:

*Reuerendis Coadiutoribus, reliquisq; fratribus meis, tàm sacerdotibus, quàm plebeijs.*

# TABVLÆ PVBLICÆ,

quibus M. Blacuellus proximæ QVÆSTIONIS acta recognouit, & pro veris ratisq; habuit:

In frequente Iudicum consessu eorum, quos Serenissima Maiestas Regia, rerum Ecclesiasticarum cognitioni præcipuô mandatô præfecit.

*Ad Palatium Lambethense Calendis Februarij, Anno (ex stylo Anglicano)* 1607.

QVô die *Thomas Crompton* Aduocatus Regius, vir Equestris ordinis, quatuor scripta, præsente M. Georgio Blacuello, pro Curiâ seperatim proposuit. Primô locô Literæ erãt archetypæ, quas à Cardinali Bellarmino Blacuellus fatetur acceptas: Romæ datas vicesimo octauo die

die Septembris 1607. Eæ sic erant inscriptæ: *Admodum Reuerendo Domino D. Georgio Blacuello Archipresbytero Angliæ*: Subscriptæ verò sic: *Reuerendæ admodum D. V. frater & seruus in Christo, Robertus Cardinalis Bellarminus.* Cœptæque ab his verbis; *Venerabilis in Christo Domine frater. Anni sunt ferè quadraginta quod inuicem non viderimus, &c:* in hæc desierant; *Vale, viriliter age, & confortetur cor tuum.* Secuta continebat charta Blacuelli ad Cardinalis Literas Responsum, ipsius scriptum chirographo, verum adeò illarum, quas ad Cardinalem dederat Literarum exemplum, exceptis, quæ ad marginem accesserant, locorum indicijs, quæ deinceps à se fatetur addita. Datæ sunt hæ Literæ ad 13. Nouembris 1607, & sic exorsæ: *Doleo plurimùm, quòd illustrissima Amplitudo vestra de me propter Catholicam fidem incarcerato, &c.* hunc habent exitum: *Nisi quod beatus Petrus aut soluerit aut ligauerit.*

Binæ hæ Literæ causam attulerunt reliquis duobus scriptis, quorum altero excepta est in M. Blacuellum *Quæstio* Productior,

or, â D. Archiepiſcopo Cantuariẽſi diuerſis temporibus habita, in qua præfati ad Cardinalem Reſponſi loca particularia, & ex ijs alia neceſſariò deducta excutiuntur. Impleuit autem paginas centum, & quatuordecim, ſingulas Blacuelli manu (vti faſſus eſt) conſignatas. Quæ ab hoc initio profecta: *Profitetur Blacuellus, quòd in nuperrimis ſuis ad C. Bellarminum Literis, multa intelligat minùs ſatisfacere*: in hæc verba deſierat: *Omni orabat opere, vt finis eſſet interrogandi: quod adeò exorauit.* Reliquam chartam Blacuellus recognoſcit verum eſſe Epiſtolæ cuiuſdam ſuæ exemplar, ad Sacerdotium populumq; Angliæ Catholicum datæ 20 die Ianuarij, 1607. Ea vtebatur hâc inſcriptione: *Reuerendis Coadiutoribus, reliquiſq; fratribus meis, tam ſacerdotibus, quàm plebeijs*: Subſcriptione verò iſtâ: *Georgius Blacuellus Archipresbyter Angliæ, & Protonotarius Apoſtolicus.* A tali autem inducta eſt exordio: *Reuerendi admodum & cum primis dilecti, tùm ex ſacerdotio, tùm ex plebe, fratres Catholici: veſter in vinculis ſeruus*, &c. ſic verò deſita: *Exhor-*

*Exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono.*

Quæstionis verò & Epistolæ huius in Curiam(vt dictum est) exhibitæ, & M. Blacuello cum suo ad omnes paginas chirographo ostensæ, contenta omnia asseuerauit esse vera:& quę porrò vel in Literis,vel in suis per *Quæstionem* hanc omnẽ, ad res interrogatas,propositasq; responsis passim tradiderit, ea conscientiæ suæ planè congruere, quantũ pro lectionis & doctrinæ suæ modulo, vltimoq; iudicij sui captu assequitur. Idque, Deum testatus, profitebatur, ingenuè se,& cum fide feciſſe, nullâ adhibitâ reseruationis,aut subterfugij fraude, nullâ vel verbô vel mẽte abditâ æquiuocatione:quin in animum interrogantis ( quoad eius scire potuit)per omnia,tanquam iuratum,respõdisse: iuxta *Bernardi* illud in simili causa præceptum: *Quacunque arte verborum quis iuret, Deus qui conscientiæ testis est, accipit, sicut ille cui hoc iuratur,intelligit:* & Hieronymi illud; *Tantus in te sit veri amor, vt quicquid dixeris iuratum putes.*

Hæc omnia Blacuellus palàm pro Curia faſſus, eorum veritatem manu ſubſcriptâ conſignauit: die & Anno ſuperiùs dictô.

*Georgius Blacuellus Archipresbyter & Protonotarius Apoſtolicus.*

AFFVIMVS

| | |
|---|---|
| *R. Cantuarienſ.* | *I. Bennet.* |
| *Tho. Londinenſ.* | *R. Swale.* |
| *L. Ciceſtren.* | *Rich. Neile.* |
| *Iacobus Mountagu.* | *Io. King.* |
| *Ed. Stanhop.* | *Guliel. Farrand.* |

IN

# IN THOMAM WATsonum Theologiæ Doctorem, paulò antè *Episcopum Lincolniensem, aliosq; nonnullos Angliæ* Pontificios eius ætatis doctissimos, super Articulis quibusdam, de Bulla Papali, quæ contra Reginam Elizabetham tùm recèns exierat, habita Quæstio. Anno 1570.

## Thomas Watsonus.

1 *VTrùm sciat, audierit, aut intellexerit, Episcopum Romanum, (quem Papam appellant) in serenissimam Dominam nostram Elizabetham Reginam Excommunicationis sententiam tulisse: Eamq;, legitimam non esse Angliæ Reginam, nec vllam Ei, vt Reginæ, à subditis suis Anglis obedientiam deberi, per Bullam publicam declarâsse.*

Respondeo, me eam rem non aliter, quàm ex auditu compertam habere. Neque enim Bullam præfatam, aut legi vnquam, aut vidi.

*Thomas Watsonus.*

2 *Vtrùm, non obstante prefatâ Pontificis Bullâ, & eiusdem declaratione aut sententiâ, vel quâcunq; alterius Papæ Bulla, aut sententiâ, Reginã Elizabetham sentiat, nunc Regno potientem, verã esse & legitimam Angliæ & Hiberniæ Reginam, eiq;, vt veræ Reginæ Angliæ, ab Anglis & Hibernis omnibus obedientiam deberi.*

Confiteor, Reginam nostram Elizabetham, non obstante Pontificis Romani Bullâ, aut declaratione quâcunque, veram nostram esse & legitimam Angliæ & Hiberniæ Reginam, Eique vt Reginæ, ab omnibus suis subditis obedientiam debere præstari.

*Thomas Watsonus*

3 *Vtrùm non obstante Bullâ prædicta, vel aliâ quauis iampridem facta, vel ex Episcopi aut Papæ Romani authoritate, imposterum mittendâ, aut faciẽdâ, prædictæ Reginæ Elizabethæ, vt subditum legitimæ suæ, veræq; Reginæ & supremæ Principi obedientiam, fidem, & fidelitatem ipse non debeat.*

Confiteor, me non obstante Bulla prefatâ, vel quâcunque aliâ iam factâ, aut deinceps facienda, Reginę Elizabethæ, vt subditũ legitimæ Principi suæ, obedientiam, & Fidelitatem debere.

*Thomas Watsonus.*

# Io. Fecknamus.

## *Ad primum Articulum.*

1 ACcepi de prædictâ excommunicationis ſententiâ, Bullæque præfatæ exemplar â D. Henrico Neuilio Equite lectum, dùm in Turri Londinenſe incarceratus eſſem, audiui (etſi, propter inſerta verba quædam Maieſtate Regiâ indigna, falſum ducerem:) ſed & rem ex Edicto tùm ſtatim contra eam publicato reſciui.

*Ioannes Fecknamus.*

## *Ad ſecundum Articulum.*

2 Exploratiſſimum habeo, Reginam, quæ nunc eſt, Elizabetham, non obſtante Bulla prædictâ vel quâuis Papæ alterius Bullâ, ſententiâ, aut declaratione, veram noſtram eſſe, & legitimam Angliæ & Hiberniæ Reginam, Eiq; vt veræ Reginæ Angliæ, ab Anglis, & Hibernis omnibus obſequium deberi.

*Ioannes Fecknamus.*

## *Ad tertium Articulum.*

3 Confiteor, me non obſtante Bulla prædicta, vel quacunq; aliâ antehâc factâ, vel dehinc faciendâ, Reginæ Elizabethæ obedientiam, fidem & Fidelitatem, vt ſubditum legitimæ ſuæ, veræq; Reginæ & ſupremæ Principi, debere.

*Ioannes Fecknamus.*

---

*Ad*

# Henricus Colus.

## *Ad primum Articulum.*

1 RFspondeo, me de prædicta Bulla audiuiſſe: non tamen vnquam vidiſſe: nec de ea vllam eius generis notitiam accepiſſe, cui fidem habere debeã. Nec aliter ad hunc Articulũ habeo reſpondere.

*Henricus Colus.*

## *Ad ſecundum Articulum.*

2 Confiteor, & ſentio, Reginam Elizabetham (quæ nunc Regnum obtinet,) non obſtante Pontificis Bulla, eiuſq; declaratione, aut ſententia, vel quauis alterius Papæ Bulla, aut Sententia, noſtram veram eſſe & legitimam Angliæ & Hiberniæ Reginam, Eiq; ab Anglis & Hibernis omnibus, vt veræ Reginæ Angliæ, obedientiam debere præſtari.

*Henricus Colus.*

## *Ad tertium Articulum.*

3 Confiteor, non obſtante prædicta Bulla, vel alia quacunque antehac facta, aut deinceps ex authoritate Epiſcopi aut Papæ Romani mittenda, aut facienda, me præfatæ Reginæ Elizabethæ obedientiam, fidem, & fidelitatem, vt ſubditum legitimæ ſuæ, verę; Reginæ & ſupremæ Principi debere, quantum hactenùs mihi conſtat.

*Henricus Colus.*

---

Ioan-

# Ioannes Harpesfieldius.

*Ad primum Articulum.*

1 AVdiui de Bulla quâdam, non tamen vidi: neque de omnibus hiſce particularibus circumſtantijs intellexi.

*Ioannes Harpesfieldius.*

*Ad ſecundum Articulum.*

2 Ita ſentio, non obſtante quâcunq; eiuſmodi Bullâ, declaratione, aut ſententiâ.

*Ioannes Harpesfieldius.*

*Ad tertium Articulum.*

3 Non obſtante quauis eius generis Bullâ factâ aut facienda, ego tamen prędictæ Reginę Elizabethæ, iuxta formam in articulo comprehenſam, obedientiam debeo.

*Ioannes Harpesfieldius.*

---

# Nicolaus Harpesfieldius.

*Ad primum Articulum.*

1 AVdiui, eiuſmodi Bullam eſſe: ad quam tamen ego nec actor, nec ſuaſor, nec inſtigator fui.

*Nicolaus Harpesfieldius.*

*Ad ſecundum Articulum.*

2 Reſpondeo affirmatiuè, Eam veram eſſe Reginam : Eiq́ue vt veræ Reginæ, obediendum eſſe.

*Nicolaus Harpesfieldius.*

*Ad tertium Articulum.*

3 Ego Regalem eius authoritatem, in omnibus rebus, cauſiſq́; ciuilibus & temporalibus, iampridem agnoui : eamq́; nunc denuò, iuxta tenorem huius Articuli, agnoſco, nec minùs amplam & prolixam, quàm quâ vel alij Principes fruuntur, vel inclyti eius Proaui vnquam fuerunt præditi.

*Nicolaus Harpesfieldius.*

FIDELI-

# FIDELITATIS PROfessio quædam, cum hodierno Fidelitatis iuramento consentiens, cui paulò ante obitum Reginæ Elizabethæ, Sacerdotes Pontificij ê Sæcularibus frequentes scribendo affuerunt:

*Sub annum* 1062.

CVm Serenissima Domina nostra dignata sit (quod nupero Edicto ostendit) nostram, Sacerdotum Sæcularium, qui natiui sumus Majestatis suæ subditi, fidelitatem & obsequium aliqua ex parte recognoscere: cùmque Ea pro suâ clementiâ verè Regiâ, locupletem gratiæ erga nos, & misericordiæ alicuius arrham nobis dederit, qui, post susceptum à primô Regni Eius annô sacerdotij gradum, in patriam reuersi, mortis supplicio ê Regni legibus, sumus omnes obnoxij: cùmque Eadem cõtenta syncerâ tantùm obsequij nostri professione, quæ Maiestatẽ suam, de nostrâ in Regiam eius personam, Coronam, statum, & dignitatem, fidê securam reddat, nihil requirat amplius: Nos quorum subscripta hîc extant nomina, ad Maiestatis suæ pedes humillimè abiecti, ob hæc tanta beneficia Celsitudini suæ nos impensissimè deuinctos agnosci-

mus: eamque Maiestati suę hac in re fiduciam & satisfactionem parati sumus lubentissimè dare, quam Principibus suis Catholici sacerdotes quîlibet possunt vel debent polliceri.

Primò itaque agnoscimus,& confitemur,Serenissimæ Reginę Maiestatem non minùs plenâ authoritate,potestate,& superioritate,in nos reliquosq; omnes huius Regni subditos,quàm vnquã ê Maioribus suis quẽlibet,dominari.Porrò itẽ profitemur,nos lubenter paratos esse in omnibus casibus,& cõditionibus, eius imperio obsequi, quatenùs Christiani vnquã sacerdotes,vel in hôc regnô,vel in vllâ aliâ Christiani orbis regione, ex lege diuinâ,& Christianâ religione,ciuilibus suis Principibus parere tenebãtur: tributũ,cęteraque omnia debita Coronæ vectigalia soluere: eius Legibus Magistratibusque in causis ciuilibus õnibus obedire: Deum precari,vt Ea auspicatum , & tranquillum imperium in hâc vitâ, (pro sacrosancta Numinis voluntate)& post hanc vitam, æternam beatitudinem consequatur. Atque hanc nostram recognitionem ita solidè diuino verbo fundatã existimamus,vt nulla authoritas,nulla causa,aut causę prætextus iustam & idoneam nobis, non magis quàm Potestantium cuilibet, facultatem possit aut debeat præstare, vt Maiestati suæ in rebus ciuilibus,aut temporalibus obsequium detrectemus.

Secundò,cùm per pręteritos hosce annos plurimæ in Maiestatis suæ personam & statum cõiurationes sint initæ , multiq; pro inuadendis & subiugandis Maiestatis suæ dominijs,sub nouis quibusdam prætextibus, & consilijs religionis Catholicæ armis restituendæ

ſtituendæ, hoſtiles conatus ſint ſuſcepti (res cæteris orbis partibus inſolens, & præcipuè atque vnicè, prę reliquis, qui â religione, & obedientiâ ſedis Apoſtolicæ, non minùs, quàm eadem ipſa, Principes diſceſſerint, in Maieſtatem ſuam, & eius regna tentata:) quibus in ſe tàm atrocibus incœptis, (ſingulari alioqui erga ſubditos ſuos clementiâ) Ea magnoperè permota ſit, vt in Catholicos (qui Apoſtolicæ Sedi in rê fidei, ac religionis cõiuncti, facilè ſuſpecti ſint, hiſce conſpirationibus, & incurſionibus fauere) leges acerbiores & ferret & curaret exequendas, quàm (niſi hæc facta hoſtilia, & bella interueniſſent) vnquam forſan latæ aut cogitatæ fuiſſent: Nos, vt Maieſtati ſuæ fidelitatem noſtram, etiam in hâc particulari causâ, probemus, ſyncerè profitemur, & hôc publicô factô, vniuerſo orbi Chriſtiano teſtatum facimus; nos in his caſibus conſpirationum, machinationum in Maieſtatis ſuæ vitam, inuaſionum, & conatuum quorumcunq; hoſtiliũ, qui â forinſeco quouis Præſule, Principe, vel Potentatu quocunq; ſiue coniunctim, ſiue ſeparatim, ad perturbationem, vel exitium Maieſtatis ſuæ perſonæ, ſtatus, Regnorum, aut dominiorum, ſub fucô, ſpeciê, prętextû, vel conſiliô religionis Catholicæ Romanæ in Angliâ aut Hiberniâ reſtituendæ, fieri poterunt; Maieſtatis ſuæ perſonam, ſtatum, Regna, & dominia ab omnibus illiuſmodi hoſtilibus & violentis incurſibus & iniurijs defenſuros. Sed & omnes conſpirationes, aut conſilia, quæ à Pręlato, Principe, aut Potentatu quôcunq; contra Maieſtatis ſuæ perſonam, aut dominia quâvis de causâ (vt ſuprà eſt dictum) iniri intelligemus,

non ſolùm ipſos tùm detecturos, palamq; facturos, tùm pro viribus eiſdem reſtituros: ſed & Catholicis omnibus, vt idem faciant (quantum in nobis erit) vehementer authores futuros.

Tertiò ſi poſt aliquam Excommunicationis Sententiam, in Maieſtatem ſuam declaratam, vel declarandam, vel ante eiuſmodi cõiurationes, inuaſiones, aut hoſtiles conatus (de quibus ſuprà) faciendos, Papa omnes intra Maieſtatis ſuæ dominia natos excõmunicaret, qui â Maieſtatis ſuæ Eiuſq; dominiorum defenſione (vt ſuprà) non recederent, & huiuſmodi conſpiratorum, aut inuaſorum partibus in his & ſimilibus quibuſcunq; cauſis, ſe non adiungerent: nos in his, omnibuſq; iſtiuſmodi caſibus, noſmetipſos, Laicoſq; omnes Catholicos, qui Maieſtatis ſuæ ditionum ſunt natiui, conſcientiæ lege minimè teneamus eſſe aſtrictos, vt huic, aut huius generis cenſurę cuilibet pareamus: ſed (quod officij noſtri exiſtimamus eſſe) non obſtante quâuis authoritate, vel Excommunicationis quâcunq; Sententiâ aut denunciatâ, aut denunciandâ (vt ſuprà) Principem & patriam noſtram defendemus, omnemq; in cauſis ciuilibus Maieſtati ſuæ obedientiam præſtabimus.

Quoniam verò exploratiſſimum habemus, dum Chriſtianâ hâc noſtrâ, & ſyncerâ proteſtatione, pium in Maieſtatem ſuam affectum, & fidelitatem Ei probâre nitimur, non defuturos, qui legitimum hoc factum noſtrum damnare, & in peiorem interpretari partem velint, & verò iniquis ſermonibus & calumnijs, apud orbem Chriſtianum, præcipuè verò apud Sanctitatem ſuam, facta noſtra traducere, in

multo

multo maximum existimationum & personarũ nostrarum præiudicium & noxam, nisi eorum hâc in rê conatibus maturè occurramus : Maiestatem suam supplices obtestamur, vt in hac nostrâ recognitione, dum quæ sunt Cæsaris, Celsitudini suæ reddimus, cũ Eius benignâ veniâ nobis simul liceat (maledicorum calumnias vitandi causâ) simili etiã actu publico palàm testari, nos Maiestati suæ debitum obsequium agnoscendo, à nullâ Christiani illius officij lege recedere, quod supremo pastori nostro spirituali debemus.

Quamobrem agnoscimus, & confitemur, Episcopum Romanum S. Petri in eâ Sede successorem esse, neque minùs (non tamen magis) prolixam in nos reliquosque Christianos authoritatem & iurisdictionem obtinere, quàm ex concessu, & mandato Christi saluatoris nostri, Apostolus ille habuerit: nosque Sanctitati eius, quatenus ex lege diuina tenemur, morẽ gesturos: quod cum obsequiô nostrô (quale suprà professi sumus) in Principẽ nostram ciuilem, non dubitamus, quin rectè possit cõsistere. Vt enim, Maiestatis suæ, patriæque nostræ tuẽdæ causâ, paratissimi sumus sanguinẽ nostrũ profundere: ita etiã constitutum habemus, vitâ potiùs cedere, quàm Catholicæ Christi Ecclesiæ legitimã authoritatem violare.

*Gulielmus Bishop.*
*Ioan. Colleton.*
*Ioan. Mush.*
*Robert. Charnocke.*
*Ioan. Bossenile.*
*Anton. Hebborne.*
*Rogerus Cadwalader.*
*Robert. Drury.*
*Anton. Champney.*
*Io. Iackson.*
*Francis. Barnebey.*
*Oswold. Needham.*
*Richardus Button.*

# PRÆCIPVA RERVM capita, quæ ex hôc Bipartitæ Quæstionis negotio passim emerserint.

*Archipresbyteri munus quem in finem, à quo, quibus Literis, &* Breuibus *assignatum. pag.* 2. 4. 5.

*Archipresbyterum* Fidelitatis *sacramento ab initio fauisse, & Catholicis suscipiendum publicè censuisse. pag.* 7.

*Eius sententiæ rationes & fundamenta Romam quamprimùm transmisisse, sed sine successu. Ibidem.*

*Iuramenti vsum Pontificis primo* Breui *interpellatum. pag.* 8.

*Archipresbyteram* Breuis *Pontificij interuentu non esse de sententia dimotum. Ibidem.*

*Maiestatis suæ verba quædam, de Pontificis Imperiali, & Ciuili Regum abdicandorum, ciuiumq; exautorandorum potestate. pag.* 9.

*Archipresbyter ipse* Fidelitatis *iusiurandum dicit. pag.* 10.

*Regum quôcunque nomine depositiones, subditorũq; è Fidelitatis nexu exautorationes, eorúmque iussam perduellionem, & perfidiam (ex Archipresbyteri sententiâ) suppositities esse Excommunicationis effectus. pag.* 9. 16. 85. 89.

*Pertinacem*

*Pertinacem debere, etiam aduersus Anathemata, Catholicorum erga Principes suos Fidelitatem, & obsequium esse.* pag. 13. & 16.

*Archipresbyteri Literæ, quibus iuramenti admissionem, per eiusdem sensum, ad Maiestatis suæ verba (de Imperiali Pontificis authoritate) accommodatum tegit.* pag. 39.

*Archipresbyteri opinio, de subditorum fidè & obsequiô, Scripturarum perpetuâ Lege fundatô, Patrum antiquissimorum scriptis & moribus confirmatô.* pag. 51. 52. 53.

*Archipresbyterum nec secundô Pontificis* Breui, *de pristinâ sententiâ, pro iuramenti vsu, excidisse.* pag. 54.

*Archipresbyteri rationes pro iuramenti vsu explicatæ.* pag. 54. &c.

*Pontificem, cùm particularia humano tantùm oculo dispiciat, in ijs errare posse.* pag. 55. & 122.

*Pontificem ad destructionem siquid statuat, non esse audiendum.* pag. 55. & 56.

*Cur iuramento suo (vt Cardinali rescripserat) Maiestatis suæ verba, de Imperiali Pontificis authoritate, Blacuellus prætenderet.* pag. 58. 62. & deinceps. 79. 110. 111.

*Quî ausus, in vinculis cùm esset, ad Cardinalem, priuatô consiliô, Literas dare.* pag. 59.

*Angliæ & Hiberniæ Regna negat Blacuellus Sedi Romanæ esse fiduciaria.* pag. 66. 67.

*De Pontificis* directo *in temporalibus dominio; eius sententiæ assertores, eorumq; placita Blacuellus, atque adeò illam omnem sententiam falsi damnat.* pag. 68. &c. 78. 79. 80.

De indirecto Papæ dominio, in ordine ad spiritualia: eius sententiæ authores. pag. 80. 81

Locus ê Bellarmini Literis cum Iuramenti Fidelitatis articulo quodam conciliatus. pag. 82.

Card. Alani & aliorum assertiones, quæ Principes (quos vocant) hæreticos regni iure ipso facto excidere pronuntiant, vel etiam ante latam Anathematis sententiam, â Blacuello reijciuntur. pag. 86. 87. 88.

Falsum esse, quod ab eisdem traditur, rectè veteribus Christianis licuisse, in Imperatores arma sumere, si vires suppetijssent. pag. 91. 92. 93.

Gregorium septimum Principum depositionem &c. primum intonuisse. pag. 94.

Archipresbyter contra temporalem Papæ authoritatem Bellarmini argumentis pugnat. pag. 96. &c.

Docet de temporali Pontificis authoritate, sive directa, sive indirecta, nihil dum esse ab Ecclesia definitum. pag. 104. 105.

Vtramque opinionem, tum de directô, tum de indirecto Papæ in temporalibus dominio, ex æquo vituperat. pag. 108.

Locus Bellarmini excussus, de Papæ in Regibus deponendis authoritate, non vt Papæ, sed vt summi Principis spiritualis. pag. 109.

Catisbeium & cætera pulueratiæ proditionis capita, plurimùm merito suo Proditorum pœnas luisse, affirmat Archipresbyter. pag. 116.

Fidelitatis formulam iteratò, & quidem explicatiùs profitetur, sed iniuratus. pag. 117.

Si vel de Pontificis temporali Regum deponendorum authoritate, vel contra Fidelitatis iuramentum, contigeri

gerit Romæ definiri, quid statuendum censeat Blacuellus. pag. 120. & deinceps.

Locus ex Comitis Salisburiensis libello quodam Anglico, à Patre Roberto Mitigationis authore, Anglicè oppugnatus, ad examen reuocatur. pag. 128. &c.

Reges, qui diuersi sunt à Pontifice cultus, negat Archipresbyter cô nomine Tyrannorum locô habendos, aut Regni iure exuendos. pag. 130. 131. &c.

De Casuali Pontificis in temporalibus potestate, Mancini sententia. pag. 136. 137. &c.

Casualis Papæ in temporalibus authoritas, etiam extra Petri patrimonium, quibus in casibus, ex Archipresbyteri sententiâ, locum habeat. pag. 142. 143.

Hilderici Regis causa excutitur. pag. 145. &c.

Intra fines proprios, ad repellendos vel suorum motus, vel hostium incursus, licita esse Pontificis, vt laici Principis, arma, censet Archipresbyter. pag. 149.

Negat Pontifici ius esse, Principes Catholicos contra Protestantes religionis causa ad bellum incendere. pag. 150. 151. aut instructâ in eos aciê, illorum subditos ad defectionem sollicitare. pag. 154.

Debere obstinatam esse, pro Principe suo, aduersus Pontificis vel suasiones vel minas subditorum fidem, sentit Blacuellus, contra C. Alani opinionem, Scholæq; Salamanticensis Responsa, ac Edicta Io. Aquilini Ducis Hispanici, in Rebellionis Tironianæ incendio, sparsa per Hiberniam. pag. 154. &c.

Sacerdotes ad seditionem facem præferre subditis, nefas esse (contra Alanum, Rosseum, & alios) statuit Blacuellus. pag. 158. &c.

*De Iehoiada, Elia, Maccabæis, &c. loca à Blacuellõ explicata. pag.* 161. 162.

*Ieremiæ locus ille,* Conſtitui te ſuper gentes, *ab Hugone Cardinale expoſitus. pag.* 175.

---

*Errata.*

Pag. 108. lin. 6. pro *fide*, lege, *fidei.*

FINIS.

CAMBRIDGE UNIVERSITY LIBRARY
1886
BRADSHAW COLL.